

APUD EUMDEM EDITOREM

- Acta et Decreta sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani.**  
 Editio authentica. Vol. in-8°, charta manufacta cum fac-  
 simile numismatis Concilii L. 2 —
- Acta Pontificia et Decreta SS. RR. Congregationum.** Ro-  
 mana Mensualis Ephemeris a SS.mo D. N. Pio PP. X appro-  
 bata ac speciali Benedictione ornata, 1912. Annus X. —  
 12 fascicoli all'anno, per l'Italia L. 4; Estero L. 5.  
 Le annate arretrate medesimi prezzi.
- BACHOFEN, AUG., O. S. B. Summa Iuris Ecclesiastici Pu-  
 blicei.** 156 pag., in-8° L. 3 —
- BERTOLOTI, Mons. GIUSEPPE, Il Parroco italiano ne' suoi rap-  
 porti con le leggi dello Stato.** Manuale teorico pratico,  
 contenente dottrina, legislazione, giurisprudenza intorno alle  
 leggi civili, penali, amministrative e finanziarie concernenti  
 il regime parrocchiale. Terza edizione riveduta e migliorata.  
 2 grossi vol. in-8° di pag. 500 ciascuno L. 8 —
- BORGOMANERO, J. Quaestiones practicae Theologiae Moralis  
 ad usum Missionariorum praesertim orientalium regionum.**  
 Vol. in-8° di pag. 400. L. 3 50
- CAPPELLO, Sac. FELIX. De administrativa amotione Parocho-  
 rum, seu Commentarium in Decretum *Maxima cura.*** In-8°,  
 di pag. 125 L. 2 —
- **De Curia Romana iuxta reformationem sapientissime indu-  
 ctam a Pio PP. X.** 2 grossi vol. in-8°, elegantemente stam-  
 pati L. 12 50
- Vol. I. *De Curia Romana. Sede Plena.*  
 > II. > > *Sede Vacante.*
- **De Canonica Dioeceseos Visitatione, de Relatione Dioe-  
 cesana et de Visitatione Sacrorum Liminum.** 2 grossi  
 vol. in-8° gr. di circa 700 pagine l'uno L. 16 —
- **De Aetate admittendorum ad primam communionem  
 eucharisticam seu commentarium in Decretum « Quam  
 singulari ».** In-8° di pagine 64 L. 1 —
- Catechismus Romanus ex Decreto Concilii Tridentini ad  
 parochos Pii V. Pontificis Maximi, iussu editus.** Textus  
 cum pluribus antiquissimis recensionibus et ipsa principe Ma-  
 nutiana collati atque recogniti. Editio quarta. Permissu su-  
 periorum. In-8°, 507 pag. L. 3 50  
 In tela > 5 25
- Catechismus Romanus ex Decreto Concilii Tridentini, la-  
 teinisch und deutsch. Unter Zugrundelegung der Ausgabe  
 des Textes und der Uebersetzung von Dr. Smets bezw. Dr.  
 A. Buse. Mit oberhirtlicher Genehmigung.** 2 Bände. Vierte,  
 verbesserte Auflage. In-8° (I, 436 pag., II, 616 pag.) L. 6 —  
 Legato in 1/2 legatura > 11 —

73-D-92

DE

PROCESSU CRIMINALI ECCLESIASTICO

USUI SCHOLARUM

ET IUDICUM IN CURIIS ECCLESIASTICIS

ACCOMMODAVIT


Dr. FRANCISCUS HEINER

Auditor S. R. Rotae

LATINE VERTIT AC DENUO EDIDIT

Dr. ARTHURUS WYNEN

Sacerdos Instituti a Ven. Vincentio Pallotti fundati



FRIDERICUS PUSTET

PONTIFICALIS BIBLIOPOLA

ROMAE

RATISBONAE - CINCINNATI - NEO-EBORACI

1912.

Il Ror

4477-I




PRAEFATIO  
AD EDITIONEM LATINAM

IMPRIMATUR :

Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. Ap., *Magister.*

IMPRIMATUR :

Franciscus Can. Faberi, Vicariatus Urbis *Adessor.*



Auctor sibi vindicat iura proprietatis iuxta vigentes leges

*Clarissimum Auctorem huius libri ob egregia de iure canonico opera magnum in canonistis nomen habere et de S. Ecclesia bene esse promeritum, inter omnes constat. Ad dignitatem Auditoris S. R. Rotae eVectus et iudicandi munere apud celeberrimum istud tribunal fungens, scriptis iuris doctrinam edocere indefesso assiduoque labore perrexit, ita ut duplici ex capite magister iuris vocandus sit. Nuper edidit librum usui scholarum et iudicum in Curiis ecclesiasticis accommodatum, cui titulus: « Der kirchliche Strafprozess ». Hunc librum germanice conscriptum ex desiderio multorum et cum licentia Auctoris latine reddidi, cum vix alius habeatur liber, qui processum criminalem ecclesiasticum secundum ius vigens aeque breviter, concinne atque dilucide describat, omnisque inquisitionibus historicis et mere theoreticis, iudicem ecclesiasticum instruat de modo, quo nunc temporis processus criminalis sit instituendus. Quae vero in editione germanica respiciunt solas regiones germanico more atque lingua utentes, formulis generatioribus ad omnes accommodavi terras.*

*Doctrina hoc libro tradita, testante ipso Auctore in praefatione ad editionem germanicam, innititur praesertim Regulis servandis in iudiciis apud S. R. Rotae tribunal, definitive a SS. DD. NN. Pio Papa X approbatis, et Constitutione « Sapienti Consilio » et Normis particularibus atque propria quam exercitium muneris apud S. Rotam Auctori suppeditavit experientia. Praeterea Instructio S. Congregationis Episcoporum et Regularium de modo quo oeconomice procedere debent Curiae ecclesiasticae in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, edita die 11 Iunii 1880, quoad singulos articulos adhibita atque etiam ius vigens Decretalium citatum est.*

*Faxit Deus, ut haec editio latina benigne recepta iudicem ecclesiasticum toto orbe terrarum catholico adiuvet in iure dicundo iustitiaque administranda.*

Romae in festo B. M. V. Reginae Apostolorum, die 19 Maii 1912.

EDITOR.

## INDEX ANALYTICUS

### LIBER PRIMUS.

De introductione in processum criminalem ecclesiasticum.

#### SECTIO PRIMA.

De natura et ambitu processus criminalis ecclesiastici . . . Pag. 1

#### SECTIO SECUNDA.

De competentia iudiciorum criminalium ecclesiasticorum . . . Pag. 5

#### SECTIO TERTIA.

De ordinatione iudiciorum ecclesiasticorum, necnon de instantiis Pag. 10

TITULUS I. — DE IUDICIO ORDINARIO PRIMAE INSTANTIAE . . . » 11

Caput 1. — De iudice. . . . . » 12

Caput 2. — De assessoribus, instructoribus causae et potentibus seu relatoribus . . . . . » 16

Caput 3. — De promotore iustitiae seu fiscali . . . . . » 17

Caput 4. — De notariis, cancellariis, actuariis . . . . . » 19

Caput 5. — De cursoribus et apparitoribus . . . . . » 20

TITULUS 2. — DE IUDICIO ORDINARIO SECUNDAE INSTANTIAE . . . » 20

TITULUS 3. — DE APOSTOLICA SEDE UT TERTIA INSTANTIA . . . » 21

Caput 1. — De Sacra Romana Rota . . . . . » 22

Caput 2. — De Signatura Apostolica. . . . . » 25

TITULUS 4. — DE IUDICIBUS DELEGATIS . . . . . » 26

#### SECTIO QUARTA.

De externa ordinatione iudicii eiusque negotiorum . . . . . Pag. 27

## LIBER SECUNDUS.

De processu criminali ecclesiastico.

## SECTIO PRIMA.

De processu ecclesiastico in genere.

TITULUS 1. — DE CONTROVERSIIS FINIENDIS PER TRANSACTIONEM . . . . .	Pag. 33
TITULUS 2. — DE PARTIBUS . . . . .	» 36
Caput 1. — De accusatore . . . . .	» 36
Caput 2. — De accusato . . . . .	» 38
Caput 3. — De advocatis et procuratoribus . . . . .	» 42
TITULUS 3. — DE DIVERSIS FORMIS PROCESSUS CRIMINALIS . . . . .	» 46
TITULUS 4. — DE PROBATIONIBUS . . . . .	» 51
Caput 1. — De probationibus in genere . . . . .	» 51
Caput 2. — De probationibus in specie. . . . .	» 59
Art. 1. — De inspectione oculari . . . . .	» 60
Art. 2. — De testibus . . . . .	» 61
Art. 3. — De peritis . . . . .	» 74
Art. 4. — De instrumentis . . . . .	» 77
Art. 5. — De indiciis . . . . .	» 83
Art. 6. — De iuramento purgatorio . . . . .	» 84

## SECTIO SECUNDA.

De processu criminali in specie.

TITULUS 1. — DE PROCEDURA EXTRAJUDICIALI . . . . .	Pag. 85
Caput 1. — De monitione canonica in forma paterna . . . . .	» 86
Caput 2. — De sententia ex informata conscientia . . . . .	» 91
A. — Praenotiones . . . . .	» 91
B. — De ipsa procedura . . . . .	» 95
TITULUS 2. — DE PROCEDURA IUDICIALI . . . . .	» 97
Caput 1. — De monitione canonica . . . . .	» 97
Caput 2. — De ipsa procedura. . . . .	» 99
Art. 1. — De inquisitione praevia. . . . .	» 99
Art. 2. — De inquisitione iudiciali et de instruenda causa »	101
Art. 3. — De defensione accusati et de disceptatione finali »	109
Art. 4. — De sententia iudiciali . . . . .	» 113
Art. 5. — De modo procedendi in contumaces . . . . .	» 120

## SECTIO TERTIA.

De remediis iuris contra sententiam iudicalem.

TITULUS 1. — DE REMEDIIS IURIS IN GENERE . . . . .	Pag. 123
TITULUS 2. — DE REMEDIIS IURIS IN SPECIE . . . . .	» 125
Caput 1. — De remedio ordinario appellationis . . . . .	» 125
Caput 2. — De extraordinario remedio querelae nullitatis »	135
Caput 3. — De extraordinario remedio restitutionis in integrum . . . . .	» 137
Caput 4. — De revisione sententiae per Romanum Pontificem »	138

## SECTIO QUARTA.

De executione sententiae . . . . . Pag. 140

## SECTIO QUINTA.

De expensis iudicialibus necnon de gratuito patrocinio. . . . . Pag. 143

## LIBER TERTIUS.

De extraordinariis proceduris.

TITULUS 1. — DE PROCEDURA IN CAUSIS HAERESIS . . . . .	Pag. 147
TITULUS 2. — DE PROCEDURA IN CAUSIS SOLLICITATIONIS . . . . .	» 151
TITULUS 3. — DE PROCEDURA IN CLERICIS SUSPECTOS . . . . .	» 162
TITULUS 4. — DE PROCEDURA IN CAUSIS ELECTIONIS VEL DIMISSIONIS RELIGIOSORUM AB ORDINIBUS ET INSTITUTIS RELIGIOSIS »	165
TITULUS 5. — DE AMOTIONE ADMINISTRATIVA PAROCHORUM.	
A. — Decretum Sacrae Congregationis Consistorialis de amotione administrativa ab officio et beneficio curato »	171
B. — S. Congregationis Consistorialis declarationes circa Decretum « Maxima Cura ». . . . . »	183
C. — Episcoporum regni Borussici, Fuldae congrega- torum, explicationes in Decretum S. Congregationis Consistorialis diei 20 Aug. 1910. . . . . »	185

## APPENDIX I.

Instructio S. Cong. Epp. et Reg. pro ecclesiasticis Curiis quoad  
modum procedendi oeconomico in causis disciplinaribus et  
criminalibus clericorum, edita die 11 Iunii 1880. . . . . Pag. 191

## APPENDIX II.

Formulae pro exarandis actis iudicialibus processus criminalis Pag. 197

Index alphabeticus. . . . . Pag. 221







## LIBER PRIMUS.

### Introductio in processum criminalem ecclesiasticum

---

#### SECTIO PRIMA.

##### De natura et ambitu processus criminalis ecclesiastici.

1. Ecclesia ut institutum sui iuris seu societas perfecta *ius ferendi leges* a Christo Domino sibi concessum intra ambitum potestatis suae non solum semper sibi vindicavit, sed etiam de facto cuncta per saecula exercuit (1). At eius leges essent *inefficaes*, neque unquam, spectata fragilitate cupiditateque naturae hominis, scopum suum plene consequerentur, nisi potestas ecclesiastica reluctantem subditorum suorum voluntatem *mediis coercitivis* seu poenis frangere posset.

2. Neque vero ad *arbitrium* potestas coercitiva Ecclesiae exerceri potest. Ius ipsum statuit determinatas regulas seu normas, quas iudex ecclesiasticus in cognoscendis et definiendis causis criminalibus observare debet. Nam ius coercendi criminosos nunquam secundum normas iustitiae vindicativae exerceri potest, nisi servetur quaedam procedura bene constituta et certis regulis

---

(1) Cfr. Matth. XVIII, 15 sq.; I. Corinth. V. 1, sq.; II. Corinth. II. 6. sq.; I. Tim. V. 19; Ioan. XXII. Const. « *Licet* » 23 Oct. 1323; Pii IX. Encycl. « *Quanta cura* » 8 Dec. 1864.

ordinata. Si enim usus huius iuris obnoxius esset beneplacito illius, qui pro tempore iurisdictionem habet, arbitrium subiectivum pro iure obiectivo substitueretur, et ita incertitudini iniustitiaeque pateret aditas.

3. Hinc *processus criminalis ecclesiasticus* intelligitur procedura iudicialis, certis normis a iure statutis determinata, ad cognoscendas, definiendas et exequendas causas criminales.

Processus igitur criminalis praesertim quoad causam finalem essentialiter differt a *processu civili*, licet procedura ipsa in processu civili fundamentum sit quoque procedurae in processu criminali. Processus enim civilis *iura privata individuorum* tuetur, processus vero criminalis intendit, ordinem socialem Ecclesiae, legis transgressionelaesum, restituere, transgressionem legis vindicare, emendare eum, qui legem transgressus est, et absterere alios ab iisdem vel similibus criminibus committendis. Poenae autem adhibentur ut medium ad hosce scopos consequendos. Obiectum immediatum processus criminalis est detectio criminis seu eius auctoris, quamobrem processus scopum suum consecutus est, quando criminis convictus per sententiam iudicalem pro gravitate culpae punitus est. In id tendit quaevis actio iudicii, etsi decursu temporis, uti infra videbimus, varias induerit formas.

4. Ecclesia iudicat tantummodo de proprie dictis *criminibus* seu *delictis*, idest de peccatis gravibus et externis et in detrimentum societatis redundantibus, quae qua talia sub comminatione externarum poenarum ecclesiasticarum a legislatione notata sunt, sive violent praecepta divina, sive praecepta ecclesiastica.

5. Per se patet, Ecclesiam nonnisi de iis rebus criminalibus et personis iudicare posse, quae eius *potestati* seu *iurisdictioni* subiiciuntur, quae proinde ad eius *forum* pertinent. Hinc Ecclesia nequit iudicare de non baptizatis, ne de catechumenis quidem. Ad *delicta* autem quod attinet, secundum ius vigens Decretalium Ecclesiae subsunt:

a) omnia crimina *clericorum* et *religiosorum*, tum ecclesiastica, tum civilia;

b) omnia delicta *mere ecclesiastica laicorum*, v. g. haeresis, schisma, apostasia a fide, simonia, profanatio sacramentorum, omissio communionis paschalis.

c) Ratione peccati iurisdictioni Ecclesiae subsunt etiam delicta quae dicuntur *mixta*, scilicet crimina, quae ex una parte sunt temporalia et ex altera parte continent laesionem praecepto-

rum, quae determinant obligationes sive erga Deum, sive erga Ecclesiam, sive erga alios homines. Huc spectant imprimis blasphemia, sacrilegium, periurium, magia, usura, homicidium, mutilatio, furtum et nonnulla enormia peccata carnis.

6. At haec Ecclesiae iura quoad potestatem suam coercitivam a Statu moderno partim coarctata, partim omnino destructa sunt. Societas enim civilis in non paucis regionibus Ecclesiae ius infligendi poenas solum relate ad res *mere ecclesiasticas* agnoscit, et tam in causis civilibus quam in causis criminalibus vi sustulit forum privilegiatum clericorum, ita ut potestas coercitiva Ecclesiae de facto nonnisi quoad delicta *disciplinaria* exerceri possit. At aliqui Status in instruendis talibus processibus subsidium praebent, atque aliquando etiam in exequenda sententia, si formalitates processus canonici observatae fuerint. Verum Ecclesia, etiamsi in delicta *civilia* clericorum potestatem suam iudicalem cum sequelis *civilibus* non amplius potest exercere, tamen impediri nequit, ne poenis saltem *ecclesiasticis* in clericos delinquentes animadvertat. E contra in laicos iurisdictionem suam hodie non exercet nisi ad infligendas poenas *spirituales*, easque pro solis delictis *mere ecclesiasticis*.

7. In non paucis regionibus privilegium fori in causis *mere* temporalibus vel etiam in causis mixtis, sive sint civiles, sive criminales, expressa concessione Romani Pontificis (1), vel legitima consuetudine contraria immutatum vel abrogatum est (2). At etiam in illis regionibus, in quibus privilegium fori de iure adhuc existit, *Ordinarii locorum* ex iusta causa permittere possunt, ut clerici aliaeque personae privilegiatae et in suis territoriis domiciliatae, in rebus *non spiritualibus* in foro saeculari conveniantur (3). Excipiuntur vero *Cardinales, Episcopi, aliique Praelati maiores*, qui ut in foro saeculari conveniri possint, semper requiritur venia *Romani Pontificis*. Laici ab aliquo clerico coram iudicio saeculari conventi, v. g. ob iniuriam, eundem clericum *reconvenire* possunt apud idem tribunal, quin ulla licentia

(1) C. un. in VI<sup>to</sup> III. 2.

(2) C. 8. 17. X. II. 1.

(3) Cfr. *Santi-Leitner*, Prael. iur. can., ed. IV. t. II. p. 32.

opus sit, nam talis reconventio habetur uti species defensionis (1). Insuper licet laicos coram iudicibus laicis convenire clericos, qui iuxta dispositiones iuris privilegium fori amiserunt (2).

8. Per se patet, nullum catholicum deducere posse ad forum saeculare causas potestati ecclesiasticae *iure proprio* subiectas, nempe res mere ecclesiasticas, delicta disciplinaria clericorum et religiosorum, necnon causas mixtas sub respectu spirituali seu ratione peccati. Actor qui contra has dispositiones Ecclesiae agat aut quocumque modo, sive per se, sive per alios, conetur odium vel aversionem contra decreta iudicum ecclesiasticorum provocare, poenis ecclesiasticis plecti potest.

9. Iudices qui praeter dispositiones canonicas clericum vel religiosum sine venia auctoritatis ecclesiasticae ad suum tribunal trahant, pro gravitate culpae puniendi sunt. Verum in iis regionibus, in quibus privilegium fori legitime abrogatum est, illud non obtinet, nisi agatur de rebus *mere ecclesiasticis*. Fideles e contra, qui illegitime clericum coram iudice civili denuntiant vel accusant, incurrunt *excommunicationem* latae sententiae Romano Pontifici speciali modo reservatam (3). Si vero agatur de regionibus, in quibus privilegium fori non amplius de iure existit, denuntiatores et accusatores effugiunt quidem dictam *excommunicationem* latae sententiae, tamen Episcopus etiam eos poenis *arbitrariis* plectere potest. In multis dioecesibus insuper statutum est, ut clerici, si in iudicio saeculari conveniantur, de hoc auctoritatem ecclesiasticam certiore reddere debeant; ipsi vero, si quemcumque etsi laicum ibi convenire velint, ab eademque auctoritate veniam petere iubentur (4).

*Imperatores, reges, aliique gubernatores statuum actu regnantes*, v. g. praesidentes republicarum, in causis criminalibus ecclesiasticis ex iure consuetudinario immediate subsunt potestati iudiciali Romani Pontificis.

10. Quamvis omnes causae Sedi Apostolicae specialiter non reservatae iurisdictioni Episcopi subsint, nihilominus cum Romanus

(1) *Santi-Leitner*, l. c., p. 42 sq.

(2) L. c.

(3) Pii X. Motu proprio « *Quantavis diligentia* » 9 Oct. 1911.

(4) Cfr. c. 12. 18. X. II. 2.

Pontifex ex suo primatu sit iudex supremus in universa Ecclesia, quivis fidelis in omnibus rebus criminalibus quovis processu momento eundem Romanum Pontificem adire potest, ut causa sua ab eo seu per eius tribunalia cognoscatur et definiatur (1). At talis recursus non suspendit exercitium potestatis iudicialis Episcopi, si causa citatione facta iam inchoata fuerit, seu si res non amplius sit integra. Tribunal proinde Episcopi potest, immo aliquando debet causam proseguere usque ad prolationem sententiae, nisi forte Romanus Pontifex in processu ulterius progredi *expresse* vetuerit aut *de facto* causam iam ad suum tribunal avocaverit. Re autem adhuc integra, tribunalibus inferioribus omnis potestas iudicialis in illam causam ad Sedem Apostolicam deductam subducta est.

## SECTIO SECUNDA.

### De competentia iudiciorum criminalium ecclesiasticorum.

1. Ut aliquod tribunal sententiam validam ferre valeat, requiritur, ut iudex munitus sit *legitima potestate iudiciali*, idque non solum *in genere* sed etiam *in specie* relate ad personam accusatam et ad causam cognoscendam (2). Haec sola eum reddit iudicem *competentem* in aliquam personam seu in aliquam causam. Quocirca aliqua causa solum ad illum iudicem deferri potest, qui in personam accusatam potestatem habet iudicalem, et persona, quae in crimen vocatur, solum ad forum huius iudicis trahi potest; quare viget et in re criminali principium illud processus civilis: *actor sequitur forum rei* (3). Quodsi duo aut plura tribunalia in eandem personam vel in eandem causam simul sint competentia, actor seu accusator illud forum eligere potest, quod

(1) Cfr. Conc. Trid. Sess. XIII. c. 8 de ref.; Sess. XXIV. c. 5 de ref.; Sess. XXV. c. 14 de ref.

(2) Reg. iur. 26 in VI.<sup>to</sup>; c. 4. X. II. 1.

(3) C. 5. 8. X. II. 1.

adire maluerit, ita ut illud tribunal causam agere debeat, quod per citationem accusati causam tractare coepit (1).

2. Sunt autem diversi *tituli* seu rationes, ex quibus in causis criminalibus quis subiiciatur potestati seu foro alicuius iudicis:

a) Titulus ordinarius, ex quo iudex in aliquam personam fit competens, est titulus *domicilii*, ex quo proinde quilibet apud Ordinarium loci conveniri potest. Idem dicendum est de *quasi-domicilio*, quod dicitur, seu de loco habitationis actualis cum intentione ibidem manendi per maiorem anni partem, quamobrem quis uti in loco veri domicilii, sic etiam in isto loco, quamdiu in eo commoretur, apud Ordinarium loci in ius vocari potest. Nunquam vero locus *originis* qua talis competentiam aliquam constituere potest, neque locus, in quo quis solummodo *recreationis causa* commoratur (2). Quodsi quis in diversis dioecesibus complura et distincta vera domicilia habeat, actor *eligat* Ordinarium loci, apud quem causam agere maluerit. Porro a iure sancitum est, Ordinarium loci et domicilii et quasi domicilii (3) accusati proprium atque competentem iudicem esse in prima instantia pro omnibus causis criminalibus, quibus ab ipso iure non expresse aliud tribunal designatum seu reservatum est. Idem Ordinarius potestatem suam iudicalem exercere potest etiam in subditum absentem; quo in casu tantum quoad citationem et executionem sententiae auxilio uti debet illius tribunalis, intra cuius territorium accusatus de facto commoratur, uti infra dicetur.

b) Secundo loco habetur forum *delicti commissi*, ex quo scl. ad persequendum atque vindicandum delictum is quoque iudex competens est, in cuius territorio illud commissum fuit, seu ubi delinquens actum criminis poscit, etiamsi iste alibi domicilium suum habeat (4). Optime enim in loco, in quo crimem patratum est, de crimine eiusque circumstantiis et gravitate cognosci ac delictum ipsum vindicari potest. Immo etiamsi quis, delicto commissio, locum criminis reliquerit, postquam in ius vocatum est, Ordinarius loci ut iudex adhuc habet ius processum continuandi atque criminis

(1) L. 2 sq. D. V. 1; cfr. c. 19. X. II. 2.

(2) L. 1. § 9 sq. D. IX. 3.

(3) C. 15. X. II. 2.

(4) C. 14. 20. X. II. 2; c. 1. X. V. 17; c. 1. in VI<sup>to</sup> V. 7.

convictum condemnandi. Praeterea iudex loci sacerdotem ratione delicti commissi ab officio remove potest, licet hoc officium in alia dioecesi situm sit (1); sententiae *executio* autem reservatur Episcopo, in cuius dioecesi clericus delinquens beneficium possidet. Si vero delinquens ex dioecesi illa, in qua delictum commissum est, iam *ante citationem* discesserit, Episcopus illius dioecesis rem deferre debet ad Episcopum domicilii, ut aut ipse delinquentem puniat aut eum ad se remittat; delinquens autem poenis coerceri potest, ut revera redeat. Episcopus delinquentis, etsi ad indicandum de delicto sese non offerat, nihilominus ratione obligationis mutui subsidii causam cognoscere debet, si eius subsidium ab Episcopo loci imploratur. In dubio autem, uter Episcopus competens sit, praeventioni locus est.

Licet *peregrini* legibus loci non sint subiecti, ideoque ob earum transgressionem neque puniri possint, tamen ii quoque, executione sententiae remanente Episcopo domicilii, puniri possunt, quoties ex legum locorum transgressione scandalum vel aliud damnum oriatur, vel quoties expresse cautum sit, etiam peregrinos ad servandas leges locorum teneri.

*Vagi* ibi forum suum sortiuntur, ubi commorantur, atque heic etiam propter delicta alibi commissa puniri possunt.

*Religiosi* qui, postquam extra claustra vel accedente scandalo populi intra claustra delictum commiserunt, a proprio Superiore non puniantur, puniri possunt ab Ordinario aut eius loci, in quo delictum patratum est, aut illius loci, ubi delinquens actuale domicilium habet (2).

c) *Forum reconventionis* tunc obtinet, si is qui coram iudice propter delicta civiliter pertractanda accusatus est, propter eadem vel similia delicta contra accusatorem reconventionem seu reaccusationem instituit, quo in casu etiam haec altera causa criminalis in foro prioris accusationis agenda est, etiamsi iudex alias in ea esset incompetens. Si igitur exempli gratia aliquis sacerdos unius dioecesis contra aliquem sacerdotem alterius dioecesis coram huius Ordinario actionem iniuriarum instituit, et si tunc etiam accusatus adversus accusatorem actionem iniuriarum seu recon-

(1) C. 14. X. II. 2.

(2) Conc. Trid. Sess. XXV. c. 14 de reg.

ventionem instituit, Ordinarius accusati fit competens ad cognoscendam etiam hanc alteram causam. Excluditur autem reconventio, si ex utraque parte agatur de causa criminali criminaliter acta, aut si habeatur ex una parte causa criminaliter acta, et ex altera parte causa civiliter acta.

Ob eandem rationem iudex *causae principalis* est etiam iudex omnium causarum incidentalium, si quae exoriantur, omniumque aliarum causarum, quae in ea continentur vel cum ea connectuntur. Hinc controversiae v. g. de expensis iudicialibus, de honorariis advocatorum, de contractibus et conventionibus circa hanc rem initis etc. in processu criminali ab eodem iudice decidendae sunt, cuius est cognoscere causam principalem (1).

d) Uti forum *extraordinarium* pro omnibus fidelibus consideranda est Roma seu locus, ubi residet Curia Romana, et quidem ratione iurisdictionis ordinariae, quam Romanus Pontifex habet in universam Ecclesiam (2). Hinc omnes clerici et laici, qui Romam advenerunt, ibi possunt conveniri; iidem vero habent ius domum revocandi litem, si ex iusta et necessaria causa Romam venerunt atque comprobare possunt, se non litigandi causa Romam venisse neque praeparatam habere defensionem, et domi sese esse sisturos.

3. Occurrit hic, quae pro praxi est magni momenti, quaestio de *recusatione* iudicis vel iudicii ob insufficientem vel dubiam competentiam vel ob suspicionem (3).

a) Si de iudicis competentia relate ad *determinatam* quandam causam dubium oriatur et intra terminum legitimum exceptio opponatur, iudex ipse iudicium ferre debet, utrum in casu sit competens necne. Hinc exceptio, iudicem in causa praesenti non esse competentem, proponenda est ipsi iudici, ut videlicet de ea cognoscat. Quodsi iudex *sua competentiam* decreverit, decisio vim iuridicam obtinet, etsi forte falsa et erronea sit vel dubium adhuc supersit de defectu alicuius ex supra enumeratis competentiae titulis; unde nulla ab ea admittitur appellatio vel querela, et competentiae defectus, quoad opus sit,

(1) C. 3. X. II. 10.

(2) C. ult. X. II. 2.

(3) L. 10. D. II. 1; c. 41. § 1. X. II. 28.

a iure ipso suppletur. Si vero iudex *incompetentem* se declaraverit, pars accusata, quae gravatam se sentit, intra terminum legitimum decem dierum recurrere poterit ad iudicium superius, cuius deinde est, audito promotore iustitiae, rem quamprimum et definitive decidere.

b) Quodsi agatur de exceptione *absolutae* incompetentiae iudicis in praesenti causa criminali, quia haec v. g. est causa maior Romano Pontifici reservata, a decisione, cuiuscumque tenoris sit, semper potest appellari. Immo cum potestas iudicialis alicuius iudicis omnino seu absolute incompetentis nunquam extendi aut suppleri possit, exceptio absolutae incompetentiae iudicis quolibet momento temporis et in quocumque statu processus opponi potest; si vero de incompetentia iudicis certo constet, haec exceptio opponi *debet*.

c) Si dubium oriatur, *quisnam* ex duobus vel pluribus iudicibus competens sit, tunc aut locus est praeventioni, aut res decidenda est a tribunali proxime superiore, cuius decisio definitiva est.

4. Iudex ceteroquin competens, qui ab una ex partibus recusatur ob *suspicionem*, quod scilicet immunis haud sit a studio partium, ipse de recusatione suae personae iudicare nequit. Id pertinet potius ad Episcopum, qui rem vel per se vel per iudices synodales vel prosynodales decernit. Si autem ipse *Episcopus* ut iudex recusetur, adeundi sunt arbitri (1), aut iudex proxime superior de eiusmodi exceptione iudicium ferre potest, a quo iudicio nulla admittitur appellatio. Exceptio recusationis alicuius *assessoris* seu iudicis consilarii proponi debet coram iudice principali seu coram praeside tribunalis, cuius etiam est, rem decidere. Recusatio vero ipsius *praesidis* coram ipso quidem est proponenda, at decernenda est a iudicio collegiali, praesidente vicario ex officio praesidi constituto, vel, eo deficiente, aliquo alio ab Ordinario loci ad hoc substituto. In locum iudicis vel iudicium, qui suspecti declarati sunt, Ordinarius loci alios subrogare debet. Si autem recusatio aperte est frivola, si scilicet est talis, pro qua ne minima quidem causa rationabilis militat, iudex seu iudicium,

(1) C. 61. X. II. 28; c. 10. X. II. 2.



postquam de frivolitate constare decreto declaravit, ad ulteriora progredi potest, nulla habita ratione recursus vel appellationis ad iudicem superiorem. Eiusmodi enim recusationes iudicis, nisi negligenter, quemlibet processum impedire aut impossibilem reddere valerent. Quando promotor iustitiae, vel aliquis alius officialis, qui non sit iudex, ob suspicionem recusatur, Episcopus, et quidem quamprimum, aut ipse de hac exceptione videt, aut eam dirimendam committit iudici seu iudicio vel praesidi eiusdem, quavis appellatione remota. Iudicium ferre de recusatione alicuius iudicis seu Auditoris Romanae Rotae spectare ad Signaturam Apostolicam, infra dicitur.

Recusatio iudicis aut cuiuslibet alius personae iudicialis, v.g., actuarii, ob suspicionem, semper *ante* proprie dictam inquisitionem vel ante citationem proponenda et argumentis comprobanda est, nisi forte decursu processus supervenerit causa suspicionis (1). At de hoc quoque infra plura dicemus.

### SECTIO TERTIA.

#### De ordinatione iudiciorum ecclesiasticorum, necnon de instantiis.

1. Materia, sensus et ambitus alicuius legis haud semper ab *uno* iudice perspicui possunt, neque unaquaeque actio subditorum secundum veram suam naturam ab eo existimari potest. Porro non raro contingere potest, ut iudex ex animi sui inclinationibus in errorem inducatur, aut etiam ex vera iniquitate, vel ex praecipuo animo, vel ex insufficiente cognitione causae, vel ex ignorantia, vel ex falsa interpretatione alicuius legis, erroneam vel iniquam sententiam proferat. Idem locum habere potest ex negligentia vel ignorantia accusati aut eius advocati. Ad haec mala praecavenda ius statuit, ut una eademque causa iterum atque

(1) S. C. Epp. et Reg. 2 Aug. 1864.

saepius, servato ordine, tractari possit coram diversis iudicibus, idest dantur diversa tribunalia ecclesiastica, quae ita inter se ordinata sunt, ut tribunal altero superius, re acta coram tribunali inferiore, in eadem causa competens sit, ideoque sententiam inferioris tribunalis mutare seu corrigere valeat. Haec diversa tribunalia vocantur *instantiae iudiciales*; ordo vero, quo sese invicem excipiunt iudicia, *tribunalium consecutio* communiter audit.

2. Natura rei fert, saltem *tres* oportere instantias existere. Etenim *duae* instantiae propterea nullam afferrent utilitatem, quod sententias *contrarias* proferre possent, quo fieret, ut causa etiam magis dubia et incerta evaderet. Item patet, causam agendam esse semper coram *alio* eoque *superiore* tribunali. Hinc distinguuntur tribunalia inferiora, media et superiora, seu tribunalia *primae, secundae et tertiae* instantiae.

### TITULUS PRIMUS.

#### De iudicio ordinario primae instantiae.

*Iudicium* intelligitur magistratus, qui potestatem iudicalem exercet, seu ad ius dicendum legitime constitutus est. Unumquodque iudicium constare debet saltem duabus personis, scilicet *iudice*, qui ius dicat, idest sententiam ferat omniaque ad hunc finem necessaria peragat, et *actuario*, qui omnia acta iudicialia atque sententiam in scriptis redigat (1).

Per se patet, non quemlibet ad libitum posse esse iudicem aut officio eius valide fungi. Ad id enim requiritur, ut quis non solum habeat potestatem seu *iurisdictionem*, sive haec sit ordinaria, sive delegata, sive subdelegata, sed insuper munitus sit certis *qualitatibus* corporis et animi, quas aut ius expresse exoptulat aut natura rei fert.

Ordinarie tamen iudicia ecclesiastica non constant tantum uno iudice (iudex singularis) una cum actuario seu secretario, sed *collegio* quodam iudicum (iudicium collegiale), qui omnes aut *votum decisivum* habent et maiori parte votorum rem decidunt, aut nonnisi *consilio* et *opera* iudicem adiuvant.

(1) C. 2. X. II. 1; c. 18. X. II. 2; c. 11. X. II. 19.

Verum a iure cautum est, ut praeter praefatas, etiam *aliae* personae habeantur in iudiciis. Horum omnium officium a lege accurate est determinatum, eorumque opera iudex uti debet.

Priusquam igitur ipsam proceduram exponamus, de *singulis personis iudicialibus* agere debemus. Iudicio praeest iudex, ideoque de eo sit:

CAPUT PRIMUM. — *De iudice.*

1. In quavis dioecesi et in omnibus casibus a iure non exceptis Episcopus (1) vel, sede vacante, Vicarius Capitularis (et pro militibus in aliquibus regionibus Capellanus, qui dicitur, maior) utpote *Ordinarius loci* est iudex *ordinarius primae instantiae*. Is vero potestatem iudicalem exercet aut per se, aut per alios iudices a se deputatos (2). Commendatur enim cuique Ordinario, ut potestatem iudicalem *Vicario* suo *Generali* deleget. In magnis vero dioecesibus praestat aliquem alium sacerdotem constituere *Officiale*, qui quoad exercitium ordinariae potestatis iudicialis partes Ordinarii loci suscipiat, uti revera fit in non paucis dioecesibus. Quaestioni, an Episcopum nominare duos Officiales liceat, ita v. g., ut uni causas civiles committat, alteri vero causas criminales, affirmative quidem respondendum est, at pro praxi haec res vix ullius erit utilitatis.

Tribunal Officialis, seu uno verbo Officialatus, cum Episcopo unum idemque tribunal constituit (3). At vi *mandati generalis*, quo munitus est eo ipso, quod constitutus est, Officialis nequit tractare illas causas, quae a iure Episcopo specialiter reservatae sunt, aut quas Episcopus ipse expresse sibi reservavit. Ut etiam has causas ad suum tribunal trahere atque de iis valide iudicare valeat, Officiali opus est mandato *speciali* Episcopi. Ille iudex, qui iurisdictione omnino caret, sententiam validam ferre nequit. Si vero quis ex errore communi iudex legitimus putetur atque

(1) Conc. Trid. Sess. VI. c. 4 de ref.; Sess. XIV. c. 5 de ref.; Sess. XXV. c. 6 de ref.

(2) Cfr. X. I. 29.

(3) C. 2. in VI<sup>to</sup> I. 4; c. 3 in VI<sup>to</sup> II. 15; Conc. Trid. Sess. XIII. c. 2 de ref.

munitus sit saltem titulo colorato, iudicium non erit invalidum (1). Officialis denique, utpote iudex singularis, neque illas causas criminales tractare valet, quas dirimendas ius alicui *collegio* iudicam reservavit.

Officiali adiungi potest aliquis adiutor, nomine Vice-Officialis, qui vices Officialis gerat, quoties is a fungendo suo munere impeditus erit.

Quodsi potestas iudicialis alicui beneficio vel officio ecclesiastico adnexa est, munus iudicis currit a die obtenti beneficii vel apprehensi officii. Sin aliter, potestas iudicialis tunc incipit, cum ex una parte delegans documentum, quo munus confertur, tradit et ex altera parte delegatus idem accipit.

2. Tum Officialis tum Vice-Officialis praesefere debent *qualitates* in *Vicario Generali* a iure requisitas. Quare imprimis necesse est, eos gaudere integra fama atque doctoratum vel saltem licentiatum in iure canonico obtinuisse, aut aliter *specialiter* esse peritos iuris, praesertim iuris criminalis. Ceterum haec exoptulat ipsa natura rei; quae nisi verificentur, istud munus tanti ponderis nequit expleri in utilitatem fidelium.

3. Uterque coram Ordinario loci vel coram eo iudice, a quo constituti sunt, aut coram alio sacerdote ab eo ad id delegato, *iuramentum* de officio fideliter et sedulo implendo praestare debent. Si munus eis in perpetuum seu ad *universalitatem causarum* collatum fuit, iuramentum dabunt, antequam munus suscipiant; si vero ad *particularem* tantum causam specialiter deputati fuerunt, iusiurandum dicent, antequam processus instaureretur. Etiam iudex a Sede Apostolica delegatus tenetur ad iuramentum praestandum, idque dare debet in prima constitutione iudicii, adstante notario eiusdem tribunalis.

4. Et Officialis et Vice-Officialis, non secus ac Vicarius Generalis, sunt *ad nutum Episcopi*, et hinc ab officio removeri possunt. Sede vacante eorum potestas hodierno iure expirat, quare sede deinde de novo plena a novo Episcopo sunt confirmandi. At contra, munus Auditorum seu iudicum Romanae Rotae etiam sede Romani Pontificis vacante permanet. Officialis autem et Vice-Officialis illos tantum processus possunt debentve prose-

(1) C. I. C. 3. qu. 7.

qui usque ad sententiam definitivam, qui per citationem accusati iam fuerint inchoati, ubi proinde res non amplius sit integra. In omnibus aliis casibus sede vacante Vicarius Capitularis est iudex ordinarius dioecesis. Praecedentiam quod spectat, Officialis primum locum obtinet post Vicarium Generalem; ceteroquin hac in re valent ea omnia, quae a iure de Vicario Generali statuta sunt.

5. Natura rei fert, Officiale ordinarie sumendum esse ex collegio *iudicum synodali*, qui dicuntur. In quavis enim dioecesi ex dispositione Concilii Tridentini (1) aliquot sacerdotes probatae virtutis et iuris canonici periti in synodo dioecesana designari debent, qui, si opus sit, muneris iudicialis Episcopi participes fiant (hinc nomen iudicum synodali). Si aliquos ex istis iudicibus interim mori vel alio modo de officio decedere contingerit, substituatur Episcopus cum consilio Capituli infra duos menses alios iudices, nomine *prosynodales*, usque ad proximam synodum dioecesanam. Tum iudices synodales tum iudices prosynodales iuramentum de officio fideliter implendo praestare debent. Ante novam synodum seu post elapsam tempus, pro quo constituti fuerunt, decedunt eo ipso de munere suo. Ipsis invitis ab Episcopo non nisi ex iusta causa et audito consilio Capituli ab officio removeri possunt.

6. Licet *unus* iudex ad dirimendas causas, praesertim si sint minoris momenti, per se sufficiat, tamen iudex singularis in omni processu sibi adiungat saltem duos *assistentes* cum voto *consultivo* (Assessores, Consiliarios dioecesanos, etc.) (2). Hi quoque optimo iure ordinarie ex numero iudicum synodali vel prosynodali desumuntur.

7. Convenit autem omnino, ut pro *arduis causis criminalibus*, in quibus agitur v. g. de privatione beneficii vel de remotione alicuius clerici ab officio, constituatur collegium saltem *trium* iudicum cum voto *decisivo*. Immo consulendum est, ut iudicium constet saltem quinque iudicibus cum voto decisivo, quoties in processibus videndum est de atrocioribus criminibus, contra quae gravissimae poenae ecclesiasticae statuta sunt, praesertim

(1) Sess. XXV. c. 10 de ref.

(2) Cfr. c. 21. X. l. 29.

excommunicatio cum omnibus suis consequentiis canonicis, depositio ab officio cum declaratione inhabilitatis ad aliud officium ecclesiasticum, vel etiam degradatio (1). Idem dicendum de processibus criminalibus, qui ob circumstantias temporis, loci et personarum prae aliis sunt difficiliore et magni momenti. Ubi ipsum *ius* numerum iudicum non determinavit, eum determinat Episcopus iuxta prudens suum arbitrium.

8. Iudicium collegiale semper *collegialiter* procedere debet; decisiones fert et sententias dicit per vota maiora; si vero vota sint paria, accusatus absolvendus est. Officialis vel Vice-Officialis utpote iudex primarius actibus iudicialibus praesidet, nisi forte Episcopus ipse iudicio praesidere velit; id autem Episcopo semper licere, vix mentione indiget. *Praesidis* est, totum processum moderari, necnon ea omnia praecipere, quae ad applicandas normas processuales atque ad iustitiam in tuto collocandam necessaria aut utilia esse videantur. Imprimis curet, ut causae ad tribunal deductae tractentur secundum ordinem, quo delatae sunt, nisi forte uni ex eis, v. g. in causis criminalibus ad praecavendum magnum scandalum, celeriore expeditione opus sit. Praeterea curandum est, ut singuli processus criminales, servatis normis processualibus, *quam celerrime* definiantur. Nunquam vero licet, processus in iudiciis primae instantiae ultra duos annos aut in iudiciis secundae instantiae ultra annum protrahere. Sed de hoc infra plura dicentur.

9. Sententia definitiva, priusquam partibus notificetur aut a iudicio collegiali ex officio publicetur, in nonnullis dioecesibus *ex iure consuetudinario* conspicienda traditur Ordinario, quoties ipse processui non praesedit. Ordinarius enim ob graves causas publicationem prohibere aut differre poterit. Quando autem eam expresse non prohibet, praesumi potest, publicationem fieri licere, cum *positiva* approbatio Episcopi per se necessaria non sit, ut sententia effectum suum iuridicum sortiatur. Quando vero publicatio ab ipso prohibetur, Ordinarius rationes suas contrarias tribunali notificet et quamprimum curet, ut causa alio modo iterum tractetur, eo

(1) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 6 de ref.; Sess. XIII. c. 4 de ref. unacum c. 2. in VI<sup>to</sup> V. 9.

modo v. g., quod forte ipse totam causam dirimendam ad se advocet.

10. Episcopus *poenis*, non exclusa remotione ab officio iudicis, animadvertere potest in iudices, qui *substantialia praecepta processualia laedant*, qui v. g. temere et absque titulo, competentes se declarent, aut non obstante aperta competentia instantiam denegent, aut processum culpa sua protrahant, aut sententias aperte iniustas proferant, sive id fiat ex acceptione personarum, sive ex crassa ignorantia. Hoc iure Episcopus utatur etiam contra illos iudices eorumque ministros, qui *secretum officii* violaverint. Id obtinet praesertim in processibus criminalibus, at etiam in aliis proceduris contra delinquentes, quoties ex manifestatione alicuius actus iudicialis accusatori aut accusato in bonis fortunae aut in bonis animi damna exoriri poterunt. Idem secretum officii servandum est super actis et disceptatis in conventibus iudicii collegialis ante prolationem sententiae habitis, super dissensionibus iudicum inter se, super suffragiis latis, etc. Iudices secretum officii laedentes damna parti exinde orta reficere debent, aliisque poenis plecti possunt, sive ad instantiam partis laesae, sive ex officio.

Iisdem poenis coercentur etiam ceteri officiales iudiciales, qui supradictas negligentias et delicta commiserint.

CAPUT SECUNDUM. — *De assessoribus, instructoribus causae et ponentibus seu relatoribus.*

1. Ne iudex singularis aut praeses iudicii collegialis totum processus onus ferat, Ordinarius loci ei adiungere potest, sive ad universitatem causarum, sive ad particularem causam, unum vel plures *adiutores* ut consiliarios, vel ut causae instructores, vel ut relatores. Ipse delegatus iudex vero eiusmodi adiutores assumere nequit nisi ad particularem causam a se tractandam. Hi porro omnes non secus ac iudices iuramentum de officio fideliter implendo praestare atque secretum officii servare debent. Laici quidem ab istis officiis suscipiendis non excluduntur, modo aqatur de actibus iurisdictionem seu potestatem iudicalem non requirentibus, quoniam Episcopus hanc nunquam laicis valet delegare (1); tamen omnino

(1) C. 10. X. I. 2.

consulendum est, ut etiam *instructores* causarum, quoad fieri possit, desumantur ex ecclesiasticis iudiciis synodalibus vel pro-synodalibus, praesertim vero in causis criminalibus clericorum ea esto regula generalis.

2. Officium instructoris causae seu *iudicis instructoris* in eo consistit, ut testes citentur et examinentur aliique, praeter sententiam definitivam, actus perficiantur, sive omnes, sive aliqui, prout in mandato exprimitur. Mandatum, quo iudex instructor constitutus fuit, in quolibet statu processus a mandante revocari seu retractari potest, tamen absque iusta causa id fieri non licet. Instructorem causae omnia iuxta tenorem mandati exequi et singulas dispositiones in eo contentas servare debere, per se patet.

3. Praeterea praeses iudicii collegialis ex collegio iudicum aliquem *ponentem* seu relatores constituere potest, qui relationem suam conscribat eandemque in conventu iudicum exhibeat seu legat. Patet autem per se, praesidem ipsum munere referentis fungi posse, uti v. g. fit apud Sacram Rotam, ubi ille Auditor, qui ratione antiquioris nominationis singulis turnis praesidet, ordinarie etiam Ponens causae est.

CAPUT TERTIUM. — *De promotore iustitiae seu fiscali.*

1. Sicuti apud tribunalia saecularia sunt procuratores regii, ita in quavis Curia ecclesiastica constitui debet *promotor iustitiae* seu procurator fiscalis, qui iustitiam et legem ex officio repraesentet et tueatur. Ei adiungi potest uti adiutor et substitutus *subpromotor*, cuius officium iisdem normis regitur atque officium ipsius promotoris.

Promotor iustitiae constituitur ab Episcopo. Porro necesse est, ut sit sacerdos honestate vitae et fama excellens, cautus et prudens, ut sit propugnator iustitiae atque doctoratum vel licentiatum in iure canonico obtinuerit, vel aliter peritia iuris praestet. Promotor iustitiae non secus atque alii officiales iusiurandum de officio rite et fideliter implendo dare atque secretum servare debet. Etsi hodierno iure eius munus sede vacante non ipso facto cesset, tamen requiritur confirmatio novi Episcopi, ut illud continuare possit. Per se patet, promotorem iustitiae ex iusta causa, v. g. ob negligentiam in exequendis suis officiis, vel ob imprudentem agendi

modam, quovis momento temporis ab Episcopo ab officio suo removeri posse. Unus idemque autem potest fungi munere promotoris iustitiae, et munere *defensoris vinculi*, qui dicitur, modo numerus negotiorum et processuum in dioecesi nimius non sit. At *iudex instructor* nequit esse simul promotor iustitiae.

2. Promotor iustitiae munus suum exercet praecipue in rebus criminalibus. Quoties enim agitur de bono communi, iudici denuntiare debet transgressores legum ecclesiasticarum atque ab eo expostulare, ut illos coerceat. Id praesertim tunc obtinet, quando agitur de clericis, qui aliquod delictum publicum et scandalosum patnaverint, aut de quibus saltem fama fert, eos talis criminis esse reos. Promotor iustitiae igitur in hisce casibus sustinet partes *accusatoris*. Ut autem suo officio revera fungi valeat, potest vel debet, si opus sit, accedere locum facti criminosi, ut ibi de delicto cognoscat, et in facti adiuncta inquirat atque probationes colligat, quae ostendant, interventum iudicii et suam accusationem esse necessariam. Nequit vero peragere inquisitionem vere *iudicalem*, v. g. testes *sub iuramento* examini subiacere etc. Sed de hisce infra agemus in specie. Pellegrini (1) officia promotoris iustitiae paucis sic enumerat:

« Fiscalis Curiae Episcopalis officium est assistere Vicario Generali; instaurare pro iuribus Ecclesiae; agere ac defendere fiscalia; sunt autem fiscalia ea, in quibus agitur de publica pecunia et vindicta . . . Propterea potest petere, quod detur terminus ad probandum delictum; potest petere remissionem, ubi de iure concedi debet; similiter potest petere citari; nec non publicationem fieri; inquisitos non audiri; repeti testes; ipsos testes interrogari; reos non comparentes contumaces declarari; et tandem culpabiles condemnari. Potest similiter in omnibus cum iudice intervenire, et consilii gratia votum praestare, non tamen iudicare ».

Iam ex his, quae generaliter dicta sunt, sequitur, in quavis dioecesi munus promotoris iustitiae ad tuendos bonos mores atque ad conservandam disciplinam ecclesiasticam, praesertim in clericis, maximi esse momenti et rationis reddendae plenissimum. Sed S. Carolus Borromaeus (2) promotores hisce verbis adhor-

(1) Praxis Vic. part I. sect. 1. n. 19.

(2) Acta Eccl. Med. Pars IV.

tatur: « Meminerint vero illi procuratores veritatis esse, et non debere sub eius clypeo innocentes opprimere, vel aliter esse in causa, cur quis calumniis fatigetur. Nullam causam promoveant super quocumque crimine, quam iudicaverint esse calumniosam, sed cum primum de calumniis constiterit, vel de rei innocentia, ab illa desistant ».

#### CAPUT QUARTUM. — *De notariis, cancellariis, actuariis.*

1. In quavis Curia ecclesiastica insuper constitui debent *notarii*, quorum scripturae et subscriptiones publicam habent indolem ideoque publicam merentur fidem. Notarii deputari possunt aut ad negotia administrationis episcopalis *cuiuslibet generis*, aut tantum ad actus *iudiciales* sive ad omnes, sive ad particularem dumtaxat scripturam conficiendam, v. g. ad conscribendam aliquam depositionem testium. Ordinarie solum *clerici* apti et idonei constituantur notarii, in eorum autem defectu etiam laici ad id munus deputari possunt. In causis vero criminalibus clericorum ob manifestas rationes omnino consulendum est, ut officio notarii semper fungatur aliquis clericus.

2. *Qualitates* notariorum quod spectat, praeter illas, quas natura muneris expostulat, imprimis requiritur, ut notarii sint integrae famae atque maiores omni suspicione corruptibilitatis, falsificationis documentorum etc.

3. *Ius constituendi* notarios publicos competit Episcopis dioecesanis necnon Praelatis nullius. Praelati vero regulares hanc potestatem non habent nisi pro negotiis sui ordinis.

4. Quisque notarius *constituitur* per documentum publicum eius, qui constituendi potestatem habet, *iusiurandum* de officio rite et fideliter implendo dare et *secretum* officii servare debet. Iusta autem de causa notarius a constituyente vel ab eius successore quolibet tempore ab officio *removeri* aut ab eo *suspendi* potest.

5. In omni processu criminali *opera* notarii, qui munere actuarii seu secretarii fungatur, adeo est *necessaria*, ut omnes actus iudiciales sint invalidi, qui ab ipso manu propria non sint conscripti aut saltem subscripti. Quamobrem Officialis seu iudex, antequam actus iudiciales ponere incipiat, ex notariis ab Episcopo constitutis aliquem designare debet, qui in processu munere actuarii



fungatur, nisi forte Episcopus ipse iam providerit. Actuarii porro est, conficere scripturas seu documenta de citationibus, intimationibus, decretis, sententiis, omnes denique actus iudiciales in scriptis redigere, in quibus eum interesse ius praescribit. Accurate et diligenter, sive in formula ab ipso conscripta, sive in formula dictata a iudice, ea omnia, quae in praesenti causa tractantur, litteris consignare debet, cum indicatione loci, diei, mensis et anni, atque in fine subscribere. Insuper ad eum pertinet, sive de mandato iudicis, sive ad instantiam alicuius legitime petentis, acta et documenta extrahere ex registis, necnon fidem facere, exemplaria seu copias concordare cum originali seu cum textu autographo. At eiusmodi documenta seu scripturas notarius conficere valet solummodo in territorio Episcopi, a quo constitutus est, atque de eis dumtaxat rebus, ad quas deputatus est.

#### CAPUT QUINTUM. — *De cursoribus et apparitoribus.*

1. In quavis Curia denique adesse debent tum *cursores* seu pedelli, qui citationes, sententias, aliaque acta iudicialia partibus exhibeant seu afferant, tum *apparitores* seu nuntii, qui decreta iudicialia et sententias physice exequantur. Verum unus idemque utroque officio fungi potest.

2. Et cursores et apparitores ex *laicis* sumuntur, nisi in particulari casu prudentia suadeat, ut haec officia alicui clerico conferantur. Relationes ab eis exaratae de mandatis peractis publica gaudent fide.

3. De constitutione, de iuramento de officio fideliter implendo, de secreto officii, de suspensione et remotione istorum ministrorum iudicialium valent eadem regulae ac pro notariis.

### TITULUS SECUNDUS.

#### De iudicio ordinario secundae instantiae.

1. Iudicium ordinarium secundae instantiae in omnibus causis criminalibus, ab Episcopo suffraganeo in prima instantia iudicialiter actis, est *Metropolita* seu Archiepiscopus (1). Pro eo ipso

(1) Cfr. c. 11. X. I. 31; Conc. Trid. Sess. XXII. c. 7 de ref.

ut iudice primae instantiae propriae dioecesis, necnon pro Episcopis exemptis, Sedi Apostolicae immediate subiectis, nostra aetate fere semper aliquis alius Archiepiscopus aut Episcopus eisdem regionis, a Romano Pontifice deputatus, est secunda instantia, si eorum causae appellationis non directe Romanae Rotae committantur. Huic vero, cum potestatem ordinariam etiam in secunda instantia habeat, ad causas criminales iam in secunda instantia tractandas non opus est speciali mandato Romani Pontificis (1).

2. Iudicium appellationis *eodem modo* constituendum est, atque iudicium primae instantiae. Officialis et Vice-Officialis, iudices synodales et prosynodales, omnesque aliae personae iudiciales, quibus constat iudicium primae instantiae propriae dioecesis, simul iudices et officiales in secunda instantia seu in causis appellationis *aliis* dioecesis esse possunt. Quae praxis eo magis commendanda est, quia Archiepiscopus vel Episcopus deputatus saepius non habet tot sacerdotes idoneos, quot requiruntur ad constituendum duplex iudicium, neque tantas opes habet, quanta necessariae sunt ad sustentandum duplex tribunal, uti fieri potuit medio aevo atque apud tribunalia saecularia nunc etiam locum habet.

3. Quatenam sint officia instantiae appellationis et quatenam sit procedura in causis appellationis, exponetur infra in sectione tertia, quando agatur de remediis iuris contra sententiam iudicialem.

### TITULUS TERTIUS.

#### De Sede Apostolica ut tertia instantia.

1. Romanus Pontifex, ratione sui primatus in universo orbe terrarum catholico, est iudex in suprema et *ultima instantia*. Ius dicit aut per se aut per sua tribunalia ordinaria ad id constituta, aut per iudices specialiter ab ipso delegatos.

2. Ad Romanum Pontificem *semper* et a quavis instantia appellari potest. Immo etiamsi iam nullum aliud remedium iuris

(1) Pii X. Const. « *Sapientis consilio* » 29 Iun. 1908.

contra rem iudicatam seu in aliqua re criminali exequenda supersit, adhuc semper recursus ad eum fieri potest. In tali enim casu Romanus Pontifex concedere valet restitutionem in integrum, idque aut per se, aut per Sacram Rotam, aut per Signaturam Apostolicam, quando agitur de sententiis ab ipsa Sacra Rota latis. Ut autem restitutio in integrum revera concedatur, requiritur, ut recurrrens probet *primo*, adesse laesionem notabilem, *secundo*, sententiam esse aperte iniustam. At de hoc agemus infra, quando sermo erit de extraordinariis remediis iuris contra sententiam, quae transiit in rem iudicatam.

Duo porro sunt *tribunalia stabilia*, quae suprema iurisdictione ordinaria munita, ex lege et nomine Romani Pontificis ius dicunt, videlicet *Sacra Romana Rota* et *Signatura Apostolica*.

#### CAPUT PRIMUM. — De Sacra Romana Rota.

1. Sacra Romana Rota est tribunal *ordinarium*, a Sede Apostolica ad admittendas et tractandas causas appellationis institutum. Constituit autem iudicium collegiale, quod constat certo numero iudicum, nomine Auditorum — in praesenti undecim — quibus antiquior in munere praesidet uti Decanus, qui est primus inter pares.

Istud tribunal Romani Pontificis, multis iam saeculis ante institutum, Constitutione « *Sapienti Consilio* » et *Lege Propria* diei 29 Iunii 1908, quorum normae ius commune constituunt, de novo instauratum est. Sacra Rota insuper sibi confecit novum quendam modum procedendi, a Romano Pontifice approbatum, qui modus processibus aliarum etiam instantiarum, mutatis mutandis, fundamento esse potest. Quia pro instantiis inferioribus summi momenti est cognoscere competentiam praefati tribunalis, iam enumerandae sunt praecipuae regulae, quae de ea vigent.

Praemittendum est, Sacram Rotam duabus formis ius dicere, scilicet aut per *turnos*, qui dicuntur, trium iudicum aut *videntibus omnibus*, nisi aliter Romanus Pontifex pro aliqua particulari causa statuerit. Prior modus iudicandi adhibetur ordinarie, alter vero modus nonnisi in causis arduis et maximi momenti.

3. Licet Sacra Rota per se sit tribunal *appellationis*, tamen iudicat in *prima* instantia causas, quas, sive motu proprio, sive

ad instantiam partium, Romanus Pontifex ad suum tribunal revocaverit, et Rotae commiserit: easque, si opus sit, ac nisi aliter cautum sit in commissionis rescripto, iudicat quoque in secunda et in tertia instantia, ope turnorum subsequentium, iuxta Legem Propriam.

4. In *secunda* instantia Sacra Rota iudicat causas, quae a tribunali E. mi Urbis Vicarii in prima instantia cognitae fuerint, insuper causas, quae ab aliis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae per appellationem legitimam, praetermissa secunda instantia in propriis terris, immediate ad Sanctam Sedem delatae fuerint. Itemque eas iudicat, si opus sit, in tertia vel ulteriore instantia.

5. Iudicat denique in *ultima* instantia causas ab Ordinariis et ab aliis quibusvis tribunalibus in secundo vel ulteriore gradu iam cognitae, quae in rem iudicatam nondum transierint, et per legitimam appellationem ad Sanctam Sedem vel directe ad Sacram Rotam deferuntur.

6. Sacra Rota videt quoque de recursibus pro *restitutione in integrum* a sententiis quibusvis, quae transierint in rem iudicatam et remedium appellationis aut querelae nullitatis apud iudicem ulterioris instantiae invenire non possunt. Si vero agatur de re iudicata ex sententia ipsius Sacrae Rotae, *Signatura Apostolica* videt de restitutione in integrum. Qua concessa, causa qua talis non coram Signatura Apostolica, sed iterum coram Sacra Rota cognoscitur et definitur.

7. *Causae maiores* (1), quae dicuntur, sive tales sint ratione obiecti, sive ratione personarum, v. g. causae criminales Episcoporum, excluduntur ab ambitu competentiae Sacrae Rotae. Eae enim immediate a Romano Pontifice iudicantur. Qui si non ipse has causas decidere vult, per se patet, ad eum pertinere, ad eas cognoscendas eligere magistratus, quos maluerit.

8. Contra dispositiones aut decisiones Ordinariorum, quae utpote res mere disciplinares non forma iudiciali, sed *via administrativa* actae sunt, ubi proinde non habetur ulla proprie dicta procedura iudicialis neque ulla sententia iudicialis ab Ordinario

(1) Cfr. Conc. Trid. Sess. XIII. c. 1. 2. 3. 8; Sess. XXIV. c. 5. 20 de ref.; c. 39. 65. X. II. 15.

lata, apud Sacram Rotam appellatio aut querela nullitatis interponi nequit. Eorum enim cognitio in casu recursus reservatur *Sacris Congregationibus*. Si quae causa, praesertim causa criminalis alicuius clericus, falso existimata res disciplinaria, via administrativa tractata fuerit, quamvis via iudiciaria decidi debuisset, tunc res iudiciario modo dirimenda aut remittitur ad relativum magistratum, aut a Romano Pontifice committitur immediate Sacrae Rotae, sive ad instantiam S. Congregationis, sive ad instantiam partis. Quodsi autem dubitetur, utrum aliqua res sit ordinis iudicialis an ordinis administrativi, tunc, si libellus ad S. Rotam delatus est, decanus cum duobus auditoribus primis; si ad aliquam Congregationem, ordinarius eiusdem Congressus, de quaestionis natura videbunt, atrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an summo iure agendum. Horum primum si accidat, iudicium quaestionis reservatur S. Congregationi cui competit, ad normam Const. *Sapienti Consilio*. Alterum si fiat, quaestio ad proprios iudices ac sua tribunalia deferatur ad normam iuris communis definienda, salvo semper proprio Signaturae Apostolicae procedendi modo.

9. Defectus competentiae Sacrae Rotae in videndis praedictis duobus generibus causarum, videlicet in causis maioribus, et in rebus disciplinariis seu administrativis, in quibus Sacrae Congregationes competentes sunt, est *absolutus*. Hinc quaevis sententia de iis prolata ipso iure esset nulla, sicut nullae essent etiam decisiones in causis iudicialibus, si quae Sacra Congregatio eas ferret.

10. Corollarii loco animadvertimus, eos magistratus dioecesanos, qui causas in prima instantia cognoscendas mittant ad Sanctam Sedem vel ad Sacram Rotam, ne ipsi eas iudicare debeant, hac agendi ratione non commendari. *Episcopus* enim est manetque iudex primae instantiae pro omnibus causis Romano Pontifici non reservatis, et proinde omnes et singulas causas, in quibus est competens, primum ipse iudicialiter cognoscere et definire debet. Quae cum ita sint, fit quoque, ut causae, nisi adsint extraordinariae circumstantiae, ad iudicem primae instantiae remittantur, cum nota: *Episcopus utatur iure suo*. Idem dicendum de appellationibus et querelis nullitatis, congrua congruis referendo. Nisi enim agatur de casu quodam extraordinario, regula generalis esto, servandum esse ordinem hierarchicum seu tribunalium consecutionem.

Tum singuli fideles, tum Episcopi Sacram Rotam adire possunt, quin utantur opera internuntiorum seu agentium, uti aiunt, dioecesanorum (1); itidem Sacra Rota omnes intimationes Episcopis *directe* transmittit; Sacra Rota enim ad agentes dioecesanos in Urbe, nullas habet relationes Episcopi quidem non prohibentur, quominus eorum opera utantur; verum hoc modo saepe accrescunt expensae iudiciales, protrahuntur causae, ac praesertim semper periculum est, ne secreta processus violentur. Patet autem per se, Sacram Rotam quoad haec incommoda omnem declinare responsabilitatem.

#### CAPUT SECUNDUM. — *De Signatura Apostolica.*

1. Tribunal Signaturae Apostolicae Constitutione « *Sapienti consilio* » institutum est, atque *Lege Propria* eius competentia et modus procedendi probe determinata sunt. Constat autem certo quodam numero Cardinalium, quorum unus Praefecti munere fungitur.

Tribunal Signaturae Apostolicae videt tamquam sibi propria ac praecipua:

a) De exceptione suspicionis contra aliquem Auditorem Sacrae Rotae, ob quam ipse recusetur, et quidem inappellabili sententia definit, utrum, an non, sit locus recusationis Auditoris.

b) Videt deinde de violatione secreti ac de damnis ab Auditoribus illatis, eo quod actum nullum vel iniustum in iudicando posuerint. In hac autem causa criminali regulae processuales servari debent, quae pro causis criminalibus a iure canonico statuuntur. In casu vero praecedente, necnon in duobus casibus sequentibus, Signatura procedere potest sola rei veritate inspecta, citata tamen semper parte adversa vel conventa, vel cuius intersit, et praefixo partibus congruo peremptorio termino ad iura sua deducenda.

c) Videt etiam de querela nullitatis contra sententiam rotalem. At in hoc casu de eo tantum iudicat, sitne nulla rotalis sententia, et sitne locus eius circumscriptioni; non vero iudicat de

(1) Epistolae inscribantur: Alla S. R. Rota. Roma, Palazzo della Dataria.

merito causae, sed in casu, quo sententiam declaraverit nullam, ipsam causam remittit ad Sacram Rotam, ut, videntibus omnibus, iterum de ea iudicet.

d) Videt denique de petitione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam, quae in rem iudicatam transierit. Restitutione in integrum concessa, etiam in hoc casu causa remittitur ad Sacram Rotam, ut iterum de merito causae iudicet. Adversus sententiam, quae restitutionem in integrum deneget, nullum aliud datur remedium iuris.

Licet *S. Officium* quoque causas criminales iudiciario modo tractet, tamen id non fit nisi per modum exceptionis quoad duo crimina tantum, videlicet quoad sollicitationem ad turpia in confessione et quoad haeresim, quamobrem haec *S. Congregatio* nequit haberi uti tribunal ordinarium in strictu senso canonico.

## TITULUS QUARTUS.

### De iudicibus delegatis.

1. Habentur non solum iudices instructi potestate *ordinaria*, sed is, qui habet iurisdictionem ordinariam, hanc suam potestatem iudicalem potest etiam in alios transferre seu aliis *delegare*. Id autem fieri potest aut in perpetuum seu ad *universitatem* causarum, aut ad *particulares* causas. Iudices delegati ad universitatem causarum aequiparantur iudicibus ordinariis; pro iudicibus vero delegatis ad particularem causam, sive delegati fuerint a Romano Pontifice, sive ab Episcopo, valent regulae, quas ius canonicum generatim pro delegatis statuit (1).

2. Iudex ab *Apostolica Sede* delegatus opera administrorum Curiae illius dioecesis, in qua munere iudicis fungi debet, uti quidem potest, at integrum est ei eligere *alios* coadiutores, quos maluerit, nisi in delegationis rescripto aliter statutum sit. Iudices vero ab *Ordinario loci* delegati opera officialium Curiae Episcopalis uti *debent*, nisi in aliquo particulari casu Episcopus iustis de causis aut necessitate cogente opportunum censeat, peculiare et extraordinarios officiales ei adiungere.

(1) Cfr. X. I. 15.

3. Delegatis a *Romano Pontifice* ius insuper tribuit potestatem *subdelegandi*, nisi aut ipsa gravitas rei omnem subdelegationem penitus excludat, aut nisi electa sit industria personae, seu nisi quis ob speciales suas qualitates a Romano Pontifice constitutus sit iudex, id quod ex tenore mandati erui potest. Alii vero iudices delegati omnes hac potestate subdelegandi non sunt muniti, nisi *expresse* eis fuerit commissa; sed aliquos *particulares* actus processuales, verum actum iudicalem non continentes, v. g. examen testium, quisque iudex aliis idoneis personis committere potest. Quodsi proinde aliquis iudex delegatus, potestate subdelegandi non instructus, quacumque ex causa munere suo fungi nequeat, mandatum mandanti restituere debet.

4. Antiquae leges, quae tempore, quod dicitur, *Iosephinismi*, *Gallicanismi*, *Febronianismi* etc., in nonnullis partibus Ecclesiae vigeant, secundum quas *tertia* quoque instantia in ipsis finibus singularum regionum instituenda erat, consuetudine contraria penitus abrogatae esse videntur, praesertim cum hodie respectiva regna per singulos Auditores apud Sacram Rotam ut tribunal Romani Pontificis repraesentata sint. In quolibet casu nulla pars, ergo neque clericus in re criminali, prohiberi potest, quominus *sponte* Sedem Apostolicam eiusque tribunalia adeat. Ceterum constat, omnes undique id facere libere. Ille autem magistratus, sive ecclesiasticus, sive saecularis, qui talem recursum denegaret vel impediret, directe vel indirecte infitaretur, Romano Pontifici competere supremam potestatem iudicalem.

## SECTIO QUARTA.

### De externa ordinatione iudicii eiusque negotiorum.

Etsi lex de loco et tempore iudicii, de exclusionem interventus extraneorum, de confectione et asservatione actorum iudicialium, de constitutione elenchi stipendiorum iudicialium etc. haud semper speciales dispositiones statuit, tamen dixeris, normas sequentes

fulciri partim natura rei, partim iure particulari vel consuetudinario, partim praxi tribunalium romanorum.

1. Ad *locum* iudicii imprimis quod attinet, Episcopus, quamvis in quolibet loco suae dioecesis non exempto tribunal constituere valeat, praecipue tamen in loco suae residentiae peculiarem habeat domum iudicialem, aut saltem in domo sua vel in aedibus Ordinariatus vel Vicariatus Generalis aliquam aulam unice et exclusive causis ventilandis destinet. Haec porro aula ornata sit aliqua mensa et nonnullis sellis ad usum iudicum, quae disponantur in aliquo podio, uti aiunt, cancellis circumdato. Insuper in ea collocetur imago Crucifixi, omnibus visibilis, et super mensa reponatur liber evangeliorum. Ordinarius vero ex suo territorio vi et iniuste expulsus, aut ab exercenda potestate sua iudiciali impeditus, etiam *extra* suum territorium ius dicere valet, certiorato tamen prius Ordinario loci.

Praeterea iudices ceterique officiales iudicii ecclesiastici propriis vestibibus iudicialibus vel saltem veste talari et bireto induti sessionibus iudicialibus intersint. Potestas enim iudicialis etiam externe appareat, cum id obtineatur etiam in omnibus aliis officiis et functionibus ecclesiasticis.

2. Praeterea in dioecesi sua quisque Ordinarius, ratione habitae circumstantiarum loci et temporis, decreto publico statuatur certos *dies* et certas *horas*, quibus fidelibus semper liberum sit, tribunal adire et in causis suis personaliter ad istud confugere. At nihilominus cuique integrum esse debet, iusta de causa, vel quoties periculum est in mora, etiam quolibet alio tempore ipsum iudicem adire, ut coram eo denuntiaticnem facere valeat vel eius auxilium implorare possit, sive agatur de tuendis iuribus privatis, sive de bono publico. Officialis enim ecclesiasticus constituitur propter populum, at non inversa vice.

Omnes porro dies dominici, necnon dies festi de praecepto et ultimi tres dies Maioris Hebdomadae ex iure communi habentur *dies feriatii*. Hisce autem diebus sub poena nullitatis ordinarie prohibita sunt exhibitiones citationum, sessiones iudiciales, partium aut testium examina, prolatio, publicatio et executio decretorum vel sententiarum, omnes denique proprie dicti actus iudiciales. Quando vero necessitas urget vel pietas suadet vel

bonum commune postulat, ut praedicti actus ponantur, diebus quoque feriatis valide perfici possunt. Iudicis autem est in specialibus casibus determinare et pronuntiare, an et qui actus iudiciales, non obstantibus diebus feriatis, licite poni possint. At rebus ut nunc ubicumque bene constitutis, vix unquam necesse erit, iudicem hac sua potestate uti (1).

3. *Admissionem personarum ad discussiones iudiciales* quod spectat, admittendi sunt nonnisi partes litigantes aliaeque personae, quorum praesentia ad efficiendum processum iuxta legem aut prudens arbitrium iudicis necessaria est, velut promotor iustitiae, procuratores, advocati etc. At non licet, personas extraneas audientis interesse. A iure canonico enim non est introductum, causas ecclesiasticas agi publice seu praesentibus extraneis.

4. Omnes actiones iudiciales, sive respiciant obiectum seu meritum causae (acta causae), sive ordinem seu formam iudicalem (acta processus), semper *in scriptis* fieri debent. Est enim principium quoddam fundamentale, omnia acta esse conscribenda, tam in processu civili, quam in processu criminali. Hinc quoque axioma iuris: *quod non est in actis, non est in mundo*. Neque tamen *omnis* informatio aut disceptatio oralis excluditur. Nullam aliam enim citatum principium iuris significationem habet, nisi *summam* omnium actorum iudicialium in scriptis referendam esse, modo non expresse praescriptum sit aut a partibus expostuletur, ut acta, v. g. depositiones testium, *ad verbum* conscribantur.

Omnia porro acta processualia, quantum fieri potest, in lingua *latina* exarari debent. Id autem eo magis consulendum est, quia secus in casu appellationis ad Sedem Apostolicam universa acta in Latinum transferenda essent, quo non solum impediretur, quominus causa in gradu appellationis statim tractaretur, immo non raro tractatio causae in complures menses differretur, sed etiam expensae iudiciales aliquanto auferentur. At interrogationes testibus propositae responsionesque ab eis datae et alia id genus lingua *vernacula* in actis redigi debent. Verum ea quoque in casu appellationis in linguam latinam convertenda

(1) C. 1. 5. X. H. 9.



sunt, idque ad verbum et authentice facta fide, acta fideliter esse translata. Quando vero examen testium factum est in lingua italica aut gallica, conversio in latinum sermonem non est necessaria; praesumitur enim, Auditores aliosque officiales iudiciales Romanos has linguas callere. Ne quis vero praetendat, ut officiales Romanae Rotae aut Signaturae Apostolicae intelligant etiam linguam germanicam, anglicam, hispaniensem, polonicam, russicam etc. Nam genus dicendi iudiciis ecclesiasticis aptum est non nisi *Latinum*; quod nisi ita esset, nullum tribunal pro universa Ecclesia haberi posset.

Ad quaecumque documenta conficienda quisque utatur charta firma et diuturna, quae usu frequentiore aut longinquitate temporis detrimentum non facile capiat aut plene corrumpatur. Hanc regulam quisque iam ideo sequitur, quod acta iudicialia non raro valorem historicum habent. Praeterea omnes scripturae litteris, quae facile legi possunt, et atramento nigro et diuturno confici debent, id quod etiam omnis alius magistratus praescribit. Admitti possunt etiam acta machina conscripta aut prelo typographico confecta, dummodo propria manu subscripta sint.

Singulorum foliorum paginae adversae, non aversae, in numeros distribui debent. Ad praecavendum autem, ne falsa folia addantur, unumquodque folium a notario subscribi et sigillo tribunalis muniri debet.

Singulae scripturae de actibus iudicialibus, v. g. de examine testium, ab actuario et a iudice seu a praeside tribunalis subscribi debent, ut primum perfectae sunt. Haec vero subsignatio etiam tunc locum habeat, quando ob actum interruptionem scripturae adhuc imperfectae sunt, nisi agatur de brevi quadam interruptione. Subscriptionibus enim appositis eripitur facultas adiiciendi falsa. Cum aliqua scriptura a partibus subscribenda est et aliqua pars scribere nescit, id in fine documenti notari debet. Iudex autem et actuarius fidem faciant, omnia et singula, quae in isto documento continentur, ad verbum esse illi parti lecta eandemque partem omnia approbasse. Si autem quaedam pars subscribere *renuat*, id quoque in ipso documento referri debet. Scripturis supradicto modo confectis in foro ecclesiastico publica fides tribuenda est.

Si vero supradictae regulae non fuerint observatae, iudex superior acta, ob appellationem interpositam ad eum transmissa,

poterit remittere. Tribunal autem inferius vel actuarius, cui tribuenda est culpa, quod scripturae in praescripta forma non fuerunt exaratae, tenetur de damnis inde ortis.

5. Absoluto processu, omnia acta iudicialia una cum relativis scripturis seu documentis deponantur in *archivio* tribunalis, ibique in ordinem redigantur et in summano archivii registrata asserventur. Haec acta enim postero tempore aliis causis non parvam utilitatem afferre valent, vel saltem ad rei memoriam servari debent. Ea tamen acta, quae sive natura sua sive ex legis praescripto *secreta* sunt, in separatam quoddam archivium secretum concludi debent. Est autem semper *iudicis* determinare, quaenam acta secreta manere debeant, et quaenam in certis quibusdam circumstantiis tertiis personis possint exhiberi; cancellariis enim seu actuariis vel secretariis, nisi expressa licentia a iudice impetrata fuerit, nunquam licet, acta processualia aut alia documenta tertiis personis exhibere aut illa excubere. A *propriariis* vero possunt repeti documenta in cancellaria tribunalis deposita, velut testimonia de collato baptismo, de matrimonio contracto, de morte secuta etc., relicta tamen in actis copia documentorum, si iudex id opportunum censeat, et fide de eorum restitutione, in qua fide singula documenta restituta enumerentur. Si tamen boni publici intersit, certum quoddam documentum non restituere, sed in actis asservare, id a iudice decreto quodam statui debet.

In nullo archivio asservare licet epistolas anonymas aliasve scripturas, quae bonae famae proximi detrimento esse possunt, neque scripturas subsignatas, quae manifesto continent calumnias, detractiones vel contumelias partium aut aliarum personarum. Etsi autem eiusmodi scripturae delendae sint, tamen asservari debent epistolae et scripturae, quae continent aliquam denuntiationem iudicalem legitime factam.

6. Ad *taxationem expensarum iudicialium* quod attinet, Ordinarius loci constituat elenchum quendam expensarum iudicialium, necnon normam quandam, cui iudex in taxandis et exigendis expensis iudicialibus se accomodare debeat.

Immo si id opportunum censeat, exigere potest, ut ante instaurationem processus certa quaedam summa pecuniae in arca cancellariae tribunalis deponatur, vel ut alio modo solutio expen-

sarum in tuto collocetur. *Pauperes* vero ab expensis iudicialibus exempti sunt, cum iis gratuitum patrocinium praestari debeat, de qua exemptione infra agemus.

Praeterea in quavis Curia adesse debet elenchus quidam ab Ordinario loci compositus, in quo determinatum sit, quanta summa pecuniae a partibus solvenda sit pro operibus advocatorum, procuratorum et testium, pro translatione et transcriptione actuum, pro horum comparatione et vidimatione, pro excerptis factis ex documentis in archivio asservatis, pro operibus cursorum etc. In eiusmodi autem elencho componendo congrua ratio habeatur quantitatis stipendiorum, quae a Tribunalibus Romanis et a tribunalibus saecularibus locorum exigi solet, necnon status oeconomici locorum.

*Iure ac merito* denique a tribunalibus expostulari, ut solvantur quaedam taxae iudiciales, utique moderatae, exinde patet, quod istae taxae impendi debeant ad sarcinas expensas iudiciales, et ad sustentationem tribunalis eiusque officialium. Praeterea paucis tantum abhinc annis S. Congr. Concilii Episcopis praecipit, ut eiusmodi elenchum stipendiorum pro suis dioecesibus constituent (1).

(1) Cfr. S. C. C. 10 Iun. 1896.



## LIBER SECUNDUS.

### De processu criminali ecclesiastico

#### SECTIO PRIMA.

#### De processu ecclesiastico in genere.

#### TITULUS PRIMUS.

#### De controversiis finiendis per transactionem.

1. Cum multitudo processuum non sit conformis doctrinae christianae (I. Corinth. 6), neque inserviat tranquillitati societatis humanae, ius cavit, ut controversiae, quantum fieri possit, *extraiudicialiter* seu auctoritate privata dirimantur. Hinc iudex, si ei proponitur causa quaedam civiliter tractanda, ut eam cognoscat et decernat, modo adsit aliqua spes, controversiam extraiudicialiter seu compositione amicabile posse dirimi, omnia moliri et tentare debet, ut partes, aut eorum procuratores, si habeant mandatum speciale, ad vitandos processus rem suam *transactione* componant. Ipsum antiquum ius graecum et ius romanum, non secus ac moderni codices civiles, praescribunt, ut in causis privatis praecedant tentamina litem amicabile compositione finiendi.

2. Transactiones enim, licet excludantur in causis publicis seu in causis criminaliter actis (1), in causis privatis seu in causis civiliter actis locum habere non prohibentur. Conatum ad tales

(1) C. 9. X. I. 41.

controversias per transactionem amicabilem componendas potest vel debet iudex adhibere vel ante citationem partis accusatae, vel immediate post citationem, cum primum partes iudicio se sistunt, vel etiam postea in quocumque litis statu, in illo nempe, quem censet omnium maxime opportunum et idoneum. Qua in re tamen diligenter observandum est, quod non agatur nisi de causis *privatis* seu de causis *civiliter* actis, et quod partes ad transactionem ineundam nequeant *cogi*. Praeterea minus opportunum videtur, quod ipse iudex personaliter de conciliatione tractet, sed consultius est, istud negotium committere alicui *assessori*, ne postea opponi possit exceptio iudicis suspecti. Assessor autem ipsas partes ad se advocet, easque ad amicabilem compositionem litis sollicitet. Proponat eis v. g., quam incertus sit exitus litis motae seu movendae, quantas expensas processus secum ferat, et quales consequentias, necnon revocet memoriam praecepti caritatis christianae.

3. Ad transactionem valide ineundam requiri eandem habilitatem personarum atque ad accusationem et reaccusationem promovendas, per se patet. Hinc infantes, minores, omnes denique personae, quae tutorem vel curatorem habent, ipsi transigere nequeunt; possunt tamen transigere pro eis pater vel tutor vel curator. Item nequeunt transactionem inire per se solos praelati seu praepositi capitulorum, monasteriorum, sodalitatum et quarumlibet aliarum communitatum, si causae *communitatem* attingant, si v. g. capitulum qua tale aliquo libro aut libello alicuius sacerdotis iniuriam acceperit aut calumniam passus sit.

Transactio porro seu compositio valide in illis tantum causis locum habere potest, in quibus agitur de aliquo obiecto, de quo licet transigere. Hinc concordia prohibetur, quando delinquens puniri debet, ut consulatur bonae famae et honori alicuius ordinis. Ceterum nemo, sicuti non vitae suae necisque, ita neque honoris famaeque suae potestatem habet. Quamobrem famam suam quisque, quam aptissimis mediis potest, restituere debet; hinc non licet confugere ad privatam compositionem, quando per eam solam fama restitui nequit.

4. Etiam *post* sententiam latam compositiones seu transactiones fieri possunt, quousque nempe partibus adversus hanc sententiam praesto est aliquod ordinarium aut extraordinarium re-

medium iuris, videlicet appellatio vel querela nullitatis vel restitutio in integrum. Quo in casu transactio efficit, ne haec remedia iuris adhibeantur, seu impedit, ne lis protrahatur. De legitimis autem *poenis*, a iudice inflictis, transactio fieri nequit. Si transactio perficiatur, eius *executio* ita in tuto collocari potest, ut aut adiciatur poena conventionalis aut addatur iuramentum.

5. *Error*, qui uni parti in perficienda compositione cum altera parte intercesserit, tunc tantum transactionem reddit invalidam, si aut scienter et dolose ab adversario fuerit inductus, aut ipsam substantiam vel fundamentum transactionis afficiat. *Dubium* de argumento transactionis vel de eius extensione etc., si quod postea oriatur, tolli potest aut ab ipsis partibus per novam amicabilem compositionem, aut via processuali per sententiam iudicis, quo in casu ipsa transactio fit obiectum litis.

6. Relate ad *formam* transactionis haec dicenda sunt. Imprimis omnino exigendum est, ut transactio in scriptis redigatur; ita enim eius executio iuridice in tuto collocatur. Praeterea consulendum est, ut observentur formalitates, ex legibus civilibus locorum in transactionibus vel contractibus ineundis praescriptae, dummodo istae formalitates non pugnent cum iure divino aut ecclesiastico. Eiusmodi enim transactio gaudet assistentia legis civilis, ita ut non secus ac quilibet alius contractus privatus, a potestate laicali, si opus sit, vi etiam adhibita, executioni mandari possit.

7. Compositio seu concordia ope iudicis inita ab eodemque rata habita, eandem vim habet seu eundem effectum sortitur, ac *sententia iudicialis*, ideoque iuridice est *exequenda*. At ob errorem substantialem, ob vim, ob metum gravem, ob dolum et fraudem quaelibet transactio a parte laesa potest impugnari, ut a iudice invalida declaretur. De *expensis* denique solvendis in ipsa transactione est cavendum.

8. Iudex ecclesiasticus, licet ex una parte studere debeat, ut causae criminales civiliter actae via conciliationis inter partes componantur, tamen ex altera parte cavere debet, ne tales compositiones nimis urgeat aut partes ad eas faciendas compellat et cogat. Etenim aliquando bonum commune aut bonum privatum unius ex partibus exigit, ut causa iudicialiter definiatur, quando v. g. agitur de restitutione famae, uti supra iam diximus.

## TITULUS SECUNDUS.

## De partibus.

## CAPUT PRIMUM. — De accusatore.

1. Cum procedura in causis criminalibus substantialiter eadem sit ac in causis civilibus, in processu criminali non secus ac in processu civili praeter iudicem et actuarium duae personae in iudicio intervenire debent: actor, qui in re criminali audit *accusator*, et reus, qui in processu criminali *accusatus* nominatur. In processu igitur criminali accusator sustinet partes actoris in re civili, nam etiam in causis criminalibus viget principium: *nemo iudex sine actore*, ubi nullus accusator, ibi nullus iudex, idest iudex processum instituere nequit nisi ad instantiam alicuius partis. *Accusator* (1) fit quis eo, quod in iudicio petat, ut certa quaedam persona condemnetur; *accusatus* econtra is est, cuius condemnatio postulatur. Accusator porro, qui aliquem in crimen vocat, aut est persona *privata*, quae ad iura sua privata vindicanda vel etiam ad vindictam publicam condemnationem delinquentis expostulat, aut est persona *publica* seu magistratus. Persona privata, quae aggressionem suam solum commodum privatum persequitur, quin actio respiciat bonum commune seu publicum, nomine proprio seu ut accusator *privatus* agit; id quod tunc locum habet, si agitur de legum transgressionibus, quae in detrimentum privatae tantum personae redundant. Sin autem agatur de veris delictis seu criminibus, seu de externis et gravioribus legum transgressionibus, quae ordinem socialem laedunt ideoque vindicari debent, auctoritas publica nomine societatis munus accusatoris in se suscipit, et processus agitur criminaliter. In priore casu igitur habetur causa criminalis *civiliter* acta, seu causa privata, in altero vero casu causa criminalis *criminaliter* acta seu causa publica. Is tamen, qui iudici delictum quoddam solummodo *denuntiat*, non consideratur ut accusator, cum potius iudici relinquat, utrum contra denuntiatum procedere velit, necne. Si autem denuntiatio revera fundata esse videtur, iudex ex officio contra criminis accusatum procedit, in qua procedura denuntians partes testis sustinere poterit.

(1) Cfr. c. 4. C. II. q. 1.; c. 31. C. XXIII. qu. 4; c. 1. X. V. 1.

2. Ad accusationem promovendam *absolute inhabiles* in genere sunt illi omnes, qui a iure prohibentur in iudicio fungi munere testis (1). In specie autem arcentur: impuberes, mulieres, clerici, religiosi, amentes necnon alii omnes iure naturali prohibiti. Clerici et religiosi irregularitatem incurrerent, si aliquem de causa sanguinis, seu de crimine capitali accusarent; accusare tamen non prohibentur, si agatur de aliqua causa civiliter agenda. Ipso iure excluduntur etiam excommunicati vitandi, dum excommunicati tolerati ab accusato recusari possunt (2); item excluduntur criminosi et generatim omnes infames, necnon illi, qui iure ac merito de calumnia suspecti sunt, velut haeretici formales et iudaei, qui aliquem catholicum accusare vellent; prohibentur denique etiam homines miserabiles et infimae plebis. At hi omnes, exceptis illis qui iure naturali inhabiles sunt, ex iure positivo non ita sunt inhabiles, ut ne in casibus specialibus quidem admitti possint. Si enim agatur v. g. de adultero quodam castigando, in certis quibusdam circumstantiis etiam mulieres et impuberes accusationem contra delinquentem promovere possunt.

3. *Relative inhabiles* ad accusationes promovendas sunt filii, qui prohibentur parentes accusare, item fratres qui nequeunt accusare fratres, neque familiares accusare possunt familiares. Insuper clerici a laicis accusari nequeunt, cum suspicio sit, illos ab his accusari ex odio, eo quod v. g. in administratione muneris sacri eos ex officio castigaverint aut reprehenderit. Cum tamen haec sit mera praesumptio, iudex prudens plerumque etiam laicos ut accusatores clericorum admittere potest. Immo si agatur de criminibus atrocissimis, v. g. de haeresi aut de simonia, omnes personae supra enumeratae, licet alias sint inhabiles, accusatores esse non prohibentur, quo facilius mala ab Ecclesia amoveantur.

4. At omnes hae dispositiones canonicae hodie in foro ecclesiastico non amplius in praxim deducuntur, quia proprie dicta procedura per accusationem, licet a legislatione nondum sit abrogata, tamen vixdum in usu est. Verum supradictae regulae, cum

(1) Cfr. c. 5. 8. C. III. qu. 5; c. 19. C. VI. qu. 1.

(2) C. 8 in VI<sup>to</sup> V. 11; c. 1. in VI<sup>to</sup> II. 12.

fundatae sint in ipsa natura rei, valent etiam in denuntiatione, tum iudiciali, tum extraiudiciali, etiamsi ius canonicum id nunquam expresse statuerit. Sed etiam denuntiatio iudicialis hodie non nisi raro adhibetur, quoniam ut plurimum usurpatur procedura per *inquisitionem*, in qua accusator *publicus*, videlicet promotor iustitiae seu procurator fiscalis, partes accusatoris privati suscipit. Hinc etiam S. Congregatio Episcoporum et Regularium articulo XIII Instructionis diei 11 Iunii 1880 iubet: *In quacumque Curia adesse debet promotor fiscalis ad iustitiae legisque tutelam*. Quomodo autem promotor iustitiae munere accusatoris fungi debeat, infra dicemus.

5. Licet ex lege naturali nemo teneatur *accusare*, tamen quis tenetur iudicialiter *denuntiare*, cum omnis homo ex lege naturae a communitate et a tertiis grave damnum avertere debeat. Illi vero a denuntiatione facienda excusantur, qui non nisi cum gravi suo incommodo denuntiare possunt, nisi tamen agatur de crimine, quod vergit in damnum commune. Ipsa porro obligatio denuntiandi est mere *moralis*, nisi lege positiva praescripta sit et ita habeatur etiam obligatio *canonica*, uti v. g. locum habet in crimine sollicitationis ad turpia in confessionali. (Cfr. infra proceduram in causis sollicitationis.)

#### CAPUT SECUNDUM. — *De accusato.*

Processus, sicuti sine actore, ita sine *reo*, qui in re criminali dicitur *accusatus*, *denuntiatus*, vel *inquisitus*, institui nequit. Quaeritur igitur, *quis* in processu criminali accusari possit. Iamvero ius generatim statuit: *Omnes accusari possunt, qui expresse a iure non excipiuntur*. Hinc accusari nequeunt:

1. Ii omnes, qui ob defectum aetatis aut ob defectum usus rationis delictum committere nequeunt, ut infantes, amentes, ceterique omnes, qui usu rationis carent.

2. Neque illi accusari possunt, contra quos procedura criminalis promoveri nequit, sive quia terminus, intra quem facienda erat, elapsus sit, sive quia per sententiam iudicalem, vel absolutoriam, vel condemnatoriam, causa iam sit decisa. Tantum ille condemnatus, qui nova et perspicua argumenta ad innocentiam suam probandam afferre valet, postulare potest, ut sua causa

iterum cognoscatur; quo in casu ipse iterum ut accusatus comparere debet.

3. Item accusari nequeunt illi quorum crimina adeo sunt *occulta*, ut nullo modo probari possint. Nam de criminibus *publicis* tantum quis accusari potest.

4. Neque ii, qui ex legitimo privilegio forum sortiuntur in aliqua instantia superiore, in instantiis inferioribus accusari possunt, velut Cardinales, Episcopi, alique Praelati maiores, Imperatores, Reges etc., contra quos non nisi coram Sede Apostolica accusatio de crimine commisso promoveri potest.

5. Denique neque ii ad forum ecclesiasticum trahi possunt, in quos Ecclesia nullam iurisdictionem habet, quamobrem excluduntur non baptizati. Ii tamen christiani, qui ab Ecclesia defecerunt, potestati Ecclesiae usque subiiciuntur; at *de facto* haeretici et schismatici, qui extra communionem fidelium vivunt et alicui sectae religiosae adscripti sunt, in foro ecclesiastico non amplius accusari solent.

6. Supra sub numero 2 diximus, proceduram criminalem institui non posse, postquam elapsus sit terminus, qui ad eam instaurandam designatus sit.

Sicuti enim datur praescriptio possessionis et iurium, ita habetur quoque praescriptio causarum tum civilium, tum criminalium. Cum igitur accusator privatus vel magistratus ecclesiasticus seu promotor iustitiae, intra terminum a lege determinatum, ius accusandi in iudicio non exercuerit, et post elapsum istius termini accusationem promovere intendat, accusatus exceptionem praescriptionis opponere potest. A iure enim praesumitur, eum, qui intra tempus legitimum ius accusandi non exercuerit, huic iuri renuntiasse. Patet autem, principia praescriptionis in causis *criminalibus* non eadem esse posse ac in causis *civilibus*; nam in his agitur de bonis vel iuribus individuorum, quae in singulorum potestate sunt, in illis vero de bono communi, quod *semper* tuendum est. Sed ne causae criminales quidem iisdem regulis subsunt, cum non idem temporis spatium ad praescriptionem inducendam requiratur in causis criminalibus *civiliter* actis, in quibus praecipue interesse personarum privatarum occurrit, ac in causis criminalibus *criminaliter* actis, in quibus de tutela ordinis publici agitur. Denique in ipsis causis crimina-



libus criminaliter actis adhuc habetur quaedam differentia, prout nempe crimina pro eorum gravitate societati *maius* vel *minus* damnum afferunt.

8. Ad quaestionem, quibusnam legibus praescriptio causarum criminalium innotatur, et quinam sint termini, quibus elapsis praescriptio inducatur, breviter respondendum est, ius canonicum de praescriptione in re criminali non statuisse ullas leges proprias, sed totum eius systema a canonistis constitutum ex iure romano desumptum esse. S. Congregatio Episcoporum et Regularium autem Decreto diei 22 Martii 1898 expresse definiit, ius romanum esse sequendum, sive agatur de causis criminalibus civiliter actis, sive de causis criminalibus criminaliter actis. Qua in re tamen iuxta idem Decretum notandum est, extinctione causarum criminalium per praescriptionem nequaquam eo ipso praescribi etiam causas *civiles* quoad damna ex crimine praescripto in bonis privatis causata aut quoad alias sequelas. Hinc delinquenti manent etiam effectus canonici criminis commissi, licet praescripti, v. g. irregularitas, inhabilitas ad beneficia acquirenda, obligatio restitutionis etc. Immo non obstante praescriptione crimen in futuris actionibus iuridicis adhuc semper ut exceptio adduci potest, secundum regulam iuris: *Temporalia ad agendum perpetua sunt ad excipiendum*. Fingatur v. g. quod delinquens, contra quem actio criminalis institui iam nequit, ad beneficium quoddam, puta parochiam, concurrere velit; tunc ceteri concurrentes contra eum seu contra eius concursum ob crimen antea commissum, licet praescriptum, excipere possunt, quam exceptionem collator beneficii negligere nequit.

9. Quod attinet ad ipsum *tempus* ad praescriptionem singulorum delictorum requisitum, primo ascribimus verba citati Decreti a Leone XIII approbati:

« Quod autem spectat ad tempus necessarium ad dictam praescriptionem inducendam, regula generalis est, actionem iniuriarum spatio unius anni; crimen peculatus et delicta carnis spatio quinque annorum; caetera vero crimina spatio viginti annorum a die commissi delicti continuorum praescribi. Verumtamen si agatur de delictis, quae successiva sunt et permanentia, in his nulla praescriptio locum habet, nisi a die cessantis delicti; quemadmodum, si delictum fuerit totaliter occultum, praescriptionem

non a die commissi criminis, sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currere placet. Illud demum haud praetereundum est, quod criminibus raptus, stupri per vim illati, et adulterii cum incestu coniuncti, non nisi lapsu viginti annorum praescribatur, criminibus vero suppositi partus, parricidii, assassinii, laesae maiestatis, duelli, falsae monetae, apostatus, haeresis, simoniae, concussionis, abortus et sodomiae nullo unquam tempore praescribatur, sed perpetuo horum criminum rei, dum vivant, accusari et inquiri possunt ».

Hinc praescribuntur: a) spatio *unius* anni iniuriae; b) spatio *quinque* annorum peculatus et communia delicta carnis; c) spatio *viginti* annorum raptus, struprum, adulterium coniunctum cum incestu, omniaque alia crimina, d) exceptis criminibus suppositi partus, parricidii et cuiusvis alius assassinii, laesae maiestatis, duelli, falsae monetae, apostasis, haeresis, simoniae, concussionis, abortus et sodomiae, quae *nunquam* praescribuntur.

10. Decretum igitur supra citatum agit solum de praescriptione *delictorum* et *criminum*, quatenus ob ea post elapsum certum tempus nemo in crimen vocari potest, non autem loquitur de praescriptione *poenarum* inflictarum. Nam licet sint aliqui auctores, qui doceant, poenas spatio triginta annorum praescribi, tamen verius dicendum est, ius canonicum non agnoscere ullam praescriptionem poenarum. Poena enim irrogata semper subeunda est, nisi locum habeat abolitio, de qua infra, aut condonatio ex parte Summi Pontificis. Ulteriori quaestioni, an praescriptio locum habeat etiam in illis criminibus, quae non poenis vindicativis coercentur, sed sub censuris prohibita sunt, item negative respondendum est. Etenim censurae a delinquentibus tum incurruntur, cum delictum committunt, id quod etiam tunc obtinet, quando ad has poenas incurrendas sententia declaratoria necessaria est, cum iudex hoc in casu tantum *declaret, quod* delinquentes eas incurrerint. Solummodo si agatur de praescriptione alicuius criminis, quod vindicandum est censura per iudicis sententiam infligenda, in certo quodam sensu dici potest, *poenam* praescribi posse, quia hoc in casu poena censurae tum demum incurritur, *postquam* iudex eam infixit; delictum stat indepedenter a censura, et censura esset *sine obiecto*, scilicet deficeret

delictum, ob quod infligenda est, si iudex eam imponeret, *postquam* delictum est praescriptum.

11. Tempus in praescriptione currere incipit a die delicti commissi, et si continua delicta committantur, a die ultimi delicti commissi; si vero delictum *omnino* occultum, idest ne uni quidem notum sit, tempus currit non a die delicti commissi, sed a die, quo accusator vel magistratus ecclesiasticus de eo certior factus est.

12. Processus criminalis exstinguitur praeterea :

a) *sententia* iudiciali *absolutoria*, ita ut delinquens quemcumque accusatorem exceptione rei iudicatae seu definitivae decisionis iudicialis repellere possit.

b) Processus exstinguitur deinde in causis criminalibus *criminaliter* actis *morte accusati*. E contra processus in causis criminalibus *civiliter* actis transit ad haeredes partis laesae, quoties factum criminis etiam iis immediatum damnum intulerit. Mulcta quoque pecuniaria, quae iam ante mortem delinquentis a iudice irrogata fuerat, ab haeredibus delinquentis solvenda est.

c) Exstinguitur denique *morte accusatoris*, modo agatur de causa criminali civiliter acta, quamvis alius accusator processum denuo instituere possit. Cum hodie in causis mere criminalibus *magistratus* seu promotor iustitiae partes accusationis sustineat, qui non procedit nisi vi sui muneris et decedens statim a successore suppletur, in istis causis exstinctio accusationis locum habere nequit.

13. Per extinctionem accusationis omnes *actus processus*, veluti citationes etc., infirmantur, non vero infirmantur *ipsa acta*, veluti probationes allatae, sententiae interlocutoriae etc., quae omnia, si opus sit, assumi possunt in alio processu, si qui inter easdem personas et circa eandem rem instituatur.

### CAPUT TERTIUM. — *De advocatis et procuratoribus.*

1. Quamvis per se nemo teneatur, in causis criminalibus advocatum sibi constituere, cum seipsum defendere cuique accusato liceat, modo ad id idoneus sit, tamen accusati tuendi gratia ius exigit, ut defensor constituatur.

2. Advocatus ab ipso accusato eligitur. Si vero accusatus aliquem eligere nequeat, v. g. ob paupertatem, aut nolit, advocatus ei constituitur ex officio. Idem iubetur art. XXXI citatae Instructionis diei 11 Iunii 1880: *Quatenus praeventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit constituendo aliquem ex officio.*

3. Aliter res se habet quoad procuratores, qui personam accusati in iudicio repraesentent seu substituunt. Accusatus enim ipse personaliter iudicio se sistere et consequentias suorum criminum, nempe poenas earumque sequelas, in se suspicere debet. Cum vero agitur de casibus levioribus vel mulctis pecuniariis, praeter advocatum etiam procurator admitti potest. In *secunda* autem et in *tertia* instantia accusatus procuratorem sibi constituere *nunquam* prohibetur. At etiam pro disceptatione *finali* in *prima* instantia S. Congr. Epp. et Reg. iuxta cap. 5, *De procurat.*, procuratorem admittit, statuendo art. XXX suae Instructionis: *In die qua causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se repraesentare et defendere ab alio sacerdote aut laico patrocinatore, antea ab Ordinario approbato.* Hinc iudex impedire aut vetare nequit, quominus in processibus, prout supra expositum est, procurator constituatur, nisi metuendum sit de occulta collusionione, de dolo vel de non parva perturbatione ordinis.

At nunquam licet, constitutionem procuratoris esse in *praecedium* iurium et officii iudicis. Quare in omnibus processibus, sive criminaliter, sive civiliter actis, semper integrum est iudici, accusatum vel utramque partem cogere, ut *personaliter* ad respondendum compareant, quin interveniat advocatus aut procurator. Si vero agatur de monialibus aut de personis illustribus, iudex ipse aut aliquis ab eo deputatus accedat earum domum ibique eas examini subiciat (1). Idem valet de aliis personis, quando iusta de causa nequeunt personaliter in iudicio comparere, ut ibi respondeant. Ceterum ipsa natura rei fert, ex *oralibus* tantum depositionibus partium seu partis accusatae erui posse, an de aliquo *facto* constet. Verumtamen etiam hic per modum exceptionis procurator de speciali mandato accusati iuxta prudens

(1) C. 2 in VI<sup>to</sup> II. 1.

arbitrium iudicis de factis dubiis potest explicationes proferre seu illa reddere dilucida, praesertim si agatur de personis rudibus aut timidis.

Hinc in tractatione nostra de processu criminali tum de advocatis tum de procuratoribus separatim nobis agendum esset. Natura autem rei fert, haec duo munera uni eidemque committi posse, ideoque praestat, uno titulo rem absolvere.

4. Ad *qualitates procuratoris* in processu criminali ecclesiastico imprimis quod attinet, laicus quidem ab hoc officio suscipiendo non prohibetur, sed necesse est, ut sit catholicus et aetate maior; excluduntur vero excommunicati, necnon ii, qui in eadem causa sunt iudices; requiritur etiam, ut procurator gaudeat bona fama et sit idoneus ad peragendum negotium ei commissum. Etiam si quis, hisce qualitatibus praeditus, a parte seu ab accusato constitutus sit, tamen ante susceptionem muneris ei adhuc opus est speciali licentia vel approbatione ex parte Ordinarii loci. Is procurator autem, qui supradictis qualitatibus non est munitus, a iudice repellitur debet.

5. *Advocatus* vero seu defensor non solum qualitatibus supra enumeratis praeditus esse debet, sed insuper requiritur, ut sit doctor aut licentiatum in iure canonico vel ut aliter iuris peritum se praestiterit. A catholicis per modum exceptionis tantum in casu necessitatis, quando scilicet idonei viri catholici deficiunt, in iudicio ecclesiastico ut advocatus admitti potest.

6. Quivis advocatus, sive clericus sit, sive laicus, antequam patrocinium accusati suscipiat, ab Ordinario *approbari* debet (1). Quae approbatio si ei semel pro semper et ad universitatem causarum data fuerit, in particularibus casibus amplius iam non est expetenda.

7. Advocati et procuratores iudici, priusquam ab eo admitti possint, praesentare debent *mandatum* scripto datum et a parte seu ab accusato, qui eos constituit, subsignatum, cum indicatione loci, diei, mensis et anni constitutionis. Si constituens scribere nesciat, id in ipso mandato debet exprimi, huiusque rei fidem facere debet parochus, vel notarius, vel quaelibet alia publica

(1) Instructio S. C. Epp. et Reg. diei 11 Iunii 1880, art. XXX.

persona ecclesiastica aut duo testes. Mandatum generale ad negotia *cum libera*, scilicet administratione, nullam dat facultatem relate ad actus iudiciales, praesertim non ad causas criminales, sed ad singulas causas semper requiritur *mandatum speciale*. Istud mandatum advocati vel procuratoris, necnon omnes scripturae, si quae sint, quibus mandatum moderatur, in actis processus asservanda sunt. Praeterea procurator, itemque advocatus, a die suscepti officii iudicem de loco habitationis suae certiore reddere debent, ut acta et decreta tribunalis recipere possint.

Non obstante mandato speciali ad causam in iudicio prosequendam, neque procurator neque advocatus sine *novo* mandato introductioni causae aut instantiae aut necessariis actibus iudicialibus valent renuntiare; item absque tali mandato nequeunt reconciliationem vel transactionem perficere, aut loco partis iuramenta praestare aliasve actiones peragere, ad quas ius exigit mandatum specialissimum. De defensoris seu advocati singulis *iuribus et obligationibus* in processu criminali infra plura dicemus. Potest v. g. exigere, ut ii testes, quorum depositiones dubiae sunt, iterum producantur, vel ut testes confrontentur, potest recusare tribunal ob eius incompetentiam aut iudicem ob eius inimicitias cum accusato vel ob suspicionem, et ita porro.

Defensor insuper *iuramentum* praestare debet, se clientem suum sedulo defensurum esse. Aliquando iuramentum iuxta arbitrium Episcopi extenditur etiam ad secretum servandum, prouti praescribitur art. XXX citatae Instructionis S. Congr. Epp. et Reg.: ... *Ipsae quoque subiicitur oneri secreti iurati, quatenus Ordinario videatur indolem causae id expostulare.*

8. Tum procurator tum advocatus a iudice, sive ex officio, sive ad instantiam partis, ex *iusta causa* in quovis statu processus ab officio removeri possunt. Ab eiusmodi decreto iudicis nulla interponi potest appellatio. A domino autem constituyente procuratores et advocati *ante citationem ad nutum* removeri possunt, qua in re tamen cavendum est, ne patiantur damnum. Revocatio vero mandati post instaurationem processus seu *post citationem* non nisi *ex iusta causa* fieri potest, neque ullum iudicum valorem seu effectum habet, antequam eis intimata sit

atque etiam iudex necnon accusator seu promotor iustitiae de facta revocatione certiores facti sint.

9. Munus tum procuratoris tum advocati *cessat* morte ipsorum, item renuntiatione, necnon processu terminato seu instantia finita per prolationem sententiae definitivae. Procuratori tamen post sententiam latam remanet *ius appellandi*, at ad repraesentandum dominum constituentem etiam in instantia appellationis novum requiritur mandatum.

10. Et procurator et advocatus ius habent exigendi a domino constituyente, vel a parte in istis expensis condemnato, *salarium* a singulis Curiis determinatum aut consuetudine locorum introductum. Utrique vero prohibetur, litem emere aut pactum inire de extraordinario emolumento solvendo in casu victoriae. Quod si nihilominus fecerint, praeter pacti nullitatem, a iudice vel ab Ordinario mulcta pecuniaria puniri, ab officio suspendi, atque, si recidivi, munere suo privari possunt. Similes dispositiones continentur etiam in modernis codicibus civilibus.

### TITULUS TERTIUS.

#### De diversis formis processus criminalis.

1. Formae processus criminalis ecclesiastici praeis Ecclesiae temporibus erant simplicissimae. Episcopus, « praesentibus senioribus » (1) seu circumdatus suo presbyterio, audiebat accusationem viva voce prolatam necnon testes et defensionem, atque convicto statim poenam infligebat. In casibus autem gravioribus condemnatio infligebatur adstantibus aliis Episcopis accessitis (2). Necessario requirebatur, ut fidelis fratrem delinquentem, antequam eum accusaret vel denuntiaret, iuxta praeceptum Christi Domini (3) prius per correctionem fraternam secreto, deinde in praesentia testium admoneret; tunc tantum, si frater delinquens sese non emendaret, eum denuntiabat superiori ecclesiastico, non

(1) C. 23. D. 86; c. 2. C. 15, qu. 7.

(2) Conc. II. Hispalens. c. 6; c. 3. C. 15. qu. 7.

(3) Matth. XVIII. 15. sq.

ut iudici, sed ut patri. Solum contra delinquentes notorios ipse Episcopus, quin aliqua denuntiatio praecessisset, etiam ex officio procedebat (1). In delictis autem secretis etiam monitiones et poenae ab Episcopo inflictae erant secretae (2). Cuius procedurae finis erat correctio et emendatio delinquentis per interventionem auctoritatis ecclesiasticae potius quam exercitium potestatis coercitivae (3). In delinquentem, qui sese corrigere recusabat, animadvertebatur poena excommunicationis, quae et ipsa nihil aliud nisi delinquentis emendationem intendebat.

2. Cum post agnitionem Ecclesiae ex parte societatis civilis omnia, tam interna quam externa Ecclesiae decurrentibus saeculis efflorescerent atque increcerent tantisque augescerent incrementis, ut intricatiora difficilioraque evaderent, haec quasi patriarchalis forma iuris dicundi antehac usitata sufficere non iam potuit. Ecclesia proinde adoptavit normas processus accusatorii iuris romani (4) easque accomodavit principiis christianis. Cuius procedurae forma in genere eadem erat ac in processu civili, ita ut accusator generatim eundem locum obtineret ac actor in processu civili. Accusatoris erat, coram iudice competente crimen eiusque auctorem ad vindictam publicam legitime accusare. Huic enim procedurae subest ratio, delictum non solum offendere societatem humanam qua talem, sed indirecte etiam unumquemque hominem, ita ut quilibet ad consulendum sibi vel bono communi habeat ius exigendi, ut delinquens iudicialiter et publice puniatur, dummodo accusatio sit legitima. Tunc vero accusatio est legitima, quando accusator exhibet libellum accusationis et sese obligat, crimen alicui imputatum sub ea condicione probare, ut ipse in casu insufficientis probationis subeat poenam talionis, eandem scilicet poenam, quae in casu plenae probationis accusato inflictam fuisset. Quam poenam talionis tamen accusator non incurrebat, nisi constaret, eum scienter et volenter falsam accusationem promovisse, proinde eam effugiebat, si manifestum erat,

(1) C. 15. C. 2. qu. 1.

(2) C. 19. C. 2. qu. 1.

(3) L. c.

(4) C. 7. C. 2. qu. 1.

eum habuisse causam probabilem accusationis, aut eum ex errore probabili egisse (1).

Accusator igitur causam facit suam, ideoque ipse afferre debet argumenta ad crimen probandum; unacum probationibus collectis adit iudicem, accusatus citatur idemque opponit articulos suae defensionis. Ex probationibus et defensionibus adductis iudex fert sententiam, quin curet, utrum ad probandam culpam accusati, quem ex actis et probatis absolvere debet, fortasse adhuc alia argumenta potuerint inveniri, vel utrum accusatus, quem condemnare debet, alias exceptiones ad absolutionem suam obtinendam potuerit afferre. Nonnisi in delinquentes notorios Episcopus procedebat ex officio.

3. Cum accusationes promotas probare non raro esset difficile, itaque timendum, ne ipse accusator poenam talionis subiret, fieri non potuit, quin multa crimina propterea non vindicarentur, quod proprie dicti accusatores non habebantur. Accedit quod multi homines non curant, ut leges et ordo socialis per punitionem delinquentium ea laedentium serventur. Haec forte erat causa principalis, ob quam introducebatur simplex *denuntiatio iudicialis* (2), quae in eo consistit, ut crimen ab aliquo patratum Superiori tamquam iudici scriptis vel verbis manifestetur, non assumpto onere illud probandi. Denuntiatione fide digna facta, iudex statim instituit inquisitionem ex officio, eamque prosequitur usque ad sententiam. Qua in inquisitione denuntiator non prohibetur fungi munere testis (3). Si vero resultaverit, denuntiationem fuisse prorsus infundatam atque dolosam, denuntians uti calumniator puniendus est (4).

4. In utraque forma procedendi, tum in procedura per accusationem, tum in procedura per inquisitionem, accusatus erat absolvendus, si iudici de crimine facta non fuerat fides. Ex connectione autem principiorum processus germanici cum principiis iuris romani exortus est specialis quidam modus procedendi, videlicet procedura *purgationis canonicae*, cuius prima vestigia iam

(1) Cfr. c. 14. X. V. 1; c. 5. X. 1. 38.

(2) C. 24. X. V. 1.

(3) C. 4. X. II. 20.

(4) Cfr. c. 4. C. 5. qu. 6; c. 2. X. V. 2.

medio saeculo quinto apparent, uti demonstrant Capitulare Caroli Magni (1) anni 803 et Concilium Moguntinum anni 851. Haec autem procedura tunc adhibebatur, quando accusatus de crimine ipsi imputato notabiliter suspectus erat, etiamsi istud crimen statim probari non poterat. In hoc casu igitur iudex poterat ei deferre iuramentum de propria innocentia demonstranda. Accusatus vero tenebatur, iuramentum delatum praestare, adhibito certo numero testium, qui iuramentum de credulitate accusati praestabant (2). Qui testes credulitatis eiusdem condicionis ac accusatus, vitae honestae, et fide digni esse debebant, necnon tales, qui rationem vitae accusati observare potuerant (3). Accusatus, qui iuramentum purgationis recusabat, condemnabatur (4).

Episcopus autem etiam ex officio procedebat, tum in delinquentes notorios (5), tum in clericos publice infamatos. Etsi enim non praecesserat ulla accusatio aut vera denuntiatio contra istos clericos, tamen Ecclesia tales clericos infamatos non poterat tolerare, ne scilicet bonum publicum detrimentum acciperet. Quare iam pridem invaluerat, ut clerici diffamati coram suis superioribus iuramentum praestare deberent, quo ab imputatione sibi facta sese purgarent, adhibitis etiam in isto casu compurgatoribus seu testibus credulitatis (6). Ille clericus autem, qui iuramentum recusabat, habebatur pro convicto de crimine ei imputato, ideoque puniendus erat. Alius denique modus sese purgandi ab imputatione criminis consistebat in eo, ut Missa celebraretur, in qua suspectus de crimine communicare debebat (7).

5. Innocentius III (1215) hanc praxim in veram proceduram iudicalem (8) perfecit, ita ut quotiescumque haberetur aliqua diffamatio, in primis instituenda esset generalis quaedam *inquisitio*. Quodsi deinde verisimile esse appareret, diffatum revera commi-

(1) In c. 19. C. 2. qu. 5.

(2) C. 12. C. 2. qu. 5.

(3) C. 11. 16. X. V. 34.

(4) C. 11. 13. X. V. 3.

(5) C. 14-17. 21. C. 2. q. 1; c. 3. X. II. 21; c. 21. X. II. 24; c. 1. X. V. 1; c. 15. X. V. 34; c. 8. 10. X. III. 2.

(6) C. 13. 16. C. 2. qu. 5.

(7) C. 26. C. 2. qu. 5.

(8) C. un. X. III. 12; c. 10. X. V. 24; c. 24. X. V. 7.

sisse crimen, promovebatur accusatio. Idem fieri solebat, si quis denuntiatus negabat, se commisisse delictum sibi imputatum, atque denuntians verum accusatorem agere nolebat (1). In istis casibus enim, ad servandum systema accusatorium, partes accusatoris agebat officialis quidam ex officio constitutus, promotor videlicet iustitiae seu procurator fiscalis. Iudex igitur, ad instantiam huius promotoris iustitiae, ex officio debebat in delictum specialiter inquirere, et per examen testium vel per alia media probationis demonstrare, illud fuisse patratum, atque delinquentem convictum poenis (2) plectere. Si vero ex inquisitione nil aliud resultaverat, nisi rumorem quendam de delicto commisso revera existere, ipsum autem delictum fuisse patratum probari non poterat, deferebatur suspecto iuramentum purgatorium de propria innocentia, quin tamen in hoc casu adhiberentur testes credulitatis; iuramento praestito, inquisitus absolvebatur, recusationem vero iuramenti consequebatur inflictio relativae poenae. Instituto hoc processu inquisitorio, introducta est quaedam procedura, quae eam utilitatem prae se fert, ut non solum in culpam aut innocentiam inquisiti accurate inquiratur, verum etiam ut iudex non amplius sit coactus, tunc tantum contra delinquentes procedere, cum aliquis formalem accusationem promovere voluit.

Quamvis de iure omnes tres ordinarii modi procedendi, quos modo explicavimus, adhuc existant, tamen de facto nostra aetate in processibus solum procedura per inquisitionem adhibetur. At etiam haec procedura quoad singulas suas partes multum est immutata et hodie non nisi raro est in usu, cum in causis criminalibus nunc fere semper *modo summario* procedatur, licet secundum Instructionem S. Congr. Epp. et Reg. diei 11 Iunii 1880 de modo procedendi oeconomicae in causis disciplinariis et criminalibus nostra aetate procedura ordinaria nequaquam sit exclusa. Nam in art. IX huius Instructionis expresse dicitur: *Animadvertant reverendissimi Ordinarii, praesenti Instructione haud derogatum esse iudiciorum solemnitatibus per sacros Canones, per Apostolicas Constitutiones et alias ecclesiasticas dispositiones imperatis,*

(1) C. 24, X. V. 1; c. 31. X. V. 3.

(2) C. 21. X. V. 1.

*quatenus eadem libere efficaciterque applicari queant.* Ut plurimum tamen processus solemnus et processus summarius connecti solent, ita ut neque mera procedura summaria, neque tota procedura solemnus exclusive adhibeatur. Citata vero Instructio, licet *normam* quendam processus criminalis praebet, ad processum perficiendum vix sufficit, cum in multis articulis per dispositiones iuris communis supplenda sit. Quare isti duo modi procedendi de facto saepius existunt non tam ut modi *separati* et distincti, quam ut modi in non paucis coniuncti et *connexi*, uti patebit ex infra dicendis.

## TITULUS QUARTUS.

### De probationibus.

#### CAPUT PRIMUM. — *De probationibus in genere.*

Finis procedurae processualis est *veritatem* eruere, ideoque de accusatione ad tribunal deducta per accusatorem vel per promotorem iustitiae iudici facienda est fides. Iudex enim neque de culpa neque de poena sententiam ferre potest, nisi ipsi proponantur *probationes*. Hinc etiam in Instructione diei 11 Iunii 1880 art. XVI expresse dicitur, opus esse probatione legali: *Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat, aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.* Ea proinde, quae non indigent ulla probatione, idest facta, de quibus iam per se constat, vel assertiones, quae ex sese iam iuridice certae sunt, in instruenda causa a iudice prorsus omitti possunt, quoniam ipso facto in eo producant certam persuasionem quae influit in iudicium. Huc autem spectant:

x) *Facta notoria* (1), sive habeatur notorietas iuris, sive notorietas facti. *Iure notorium* est illud factum, de quo quis iam prius iudicialiter convictus aut in quo patrandum a persona publica « in flagranti » deprehensus est, necnon illud, quod in actis publicis registratum est; *facto autem notorium* dicitur illud,

(1) C. 3. X. II. 21; c. 9. X. V. 1.



quod in loco publico et tempore diurno commissum est coram tot personis, quae de eo testimonium ferre possunt, ut illud negare aperte esset frivolum. Idem exprimit ius Decretalium, cum in ultimo titulo *de Cohabitat. clericor.* de notorietate ait: *Nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, vel per confessionem factam in iure, aut per evidentiam rei, quae tergiversatione aliqua celari non possit.* Processus autem intendit eruere, quod de facto quodam vel de certa facti circumstantia constet, hinc in rebus criminalibus non requiritur ulla inquisitio processualis, si agatur de delictis iure vel facto notoriis. Patet vero necesse esse, ut de ipsa notorietate constet. Quod si contingat, iudex statim prolationem sententiae aggredi potest; nam quae manifesta sunt, iudicarium ordinem non requirunt (1). Declaratio vero, de notorietate constare, in sententia expressis verbis fieri debet. In dimetienda porro poenae mensura ratio habenda est circumstantiarum externarum, quae culpabilitatem seu impunitatem in casu augent vel minuunt, quare id etiam in sententia condemnatoria a iudice exprimi debet. Ex hac autem ratione ante condemnationem exurgere possunt causae incidentales, si v. g. a peritis inquirendum est, an delinquens sit sui compos; immo etiam ille, qui de crimine convictus est, ad instantiam suam audiendus est. Verum in re ipsa quaevis inquisitio est exclusa, si de notorietate constet vel si declaratum sit, de ea constare, quamobrem iudex illico poenas delicto commisso proportionatas irrogare potest. Sententia lata statim transit in rem iudicatam, et condemnato nullum aliud remedium iuris praesto est nisi *querela nullitatis*. Hanc autem contra sententiam opponere potest probando v. g., se tempore delicti non fuisse sui compotem, vel sententiam invalidam esse ob aliam causam, velut ob irrogationem poenae dispositionibus iuris canonici contrariae. In uno solo casu condemnatus *recursum* contra sententiam interponere potest, si nempe putet, poenam esse nimis gravem seu eam quoad gravitatem non correspondere dispositionibus iuris canonici.

Quae procedura licet non sit abrogata, tamen iudex ecclesiasticus in ea adhibenda hodie magna uti debet cautela. Immo

(1) C. 14. C. 2, qu. 1; cfr. c. 21. X. II. 24.

non obstante notorietate delicti, ordinariam praestat adhibere proceduram, in qua tamen delicti probatio paucis absolvenda est. Ut enim omittamus, proceduram sine defensione accusati facile odiosam fieri, committi possunt et de facto committuntur errores. In quolibet casu de notorietate facti constare seu de ea constare iudex decernere debet, atque gradus culpabilitatis delinquentis sedulo examinandus et poenae mensura secundum iustitiam et iuxta leges canonicas statuenda est. Utcumque denique res se habet, semper consulendum est, ut etiam delinquens audiatur eique detur copia defensionis, id quod ut plurimum hodie in usu est etiam in tribunalibus saecularibus.

b) *Confessio iudicialis* eandem vim iuridicam habet ac notorietas, ita ut neque in casu confessionis iudicialis ulla alia probatione opus sit (1). Confessio autem iudicialis intelligitur asseveratio unius ex partibus, sive sponte, sive ad interrogationem iudicis, durante procedura processuali coram iudice viva voce prolata vel eidem scripto tradita, qua agnoscitur, assertionem adversarii esse veram. Quae confessio tamen tunc tantum effectus suos iuridicos producit, si fit ab accusato aetate *maiore*, coram *iudice competente* aut coram *notario, sponte et scienter*; praeterea requiritur, ut confessio referatur ad causam praesentem et redundet in detrimentum confitentis (2). Quoties igitur sub hisce condicionibus ab una parte aliqua assertio alterius partis conceditur, quoad *hanc* assertionem inter partes ipso facto existit concordia seu consensus, quae proinde etiam decisioni iudicis subesse debet. Confessus autem confessionem in iudicio factam revocare nequit, nisi in continenti, aut nisi demonstret, in ea non verificari praedictas condiciones requisitas, vel eam ex errore factam et obiective falsam esse.

Confessio porro *extra iudicium* scripto vel verbis facta, sive coram adversario, sive coram aliis personis, in iudicio illum tantum valorem habet, quem iudex spectatis circumstantiis in casu ei attribuendum esse iudicat. In quolibet autem casu confessio extraiudicialis suppeditat *iudicium* quoddam *grave*. Immo aliquando confessio extraiudicialis etiam indolem *plena probationis*

(1) X. II. 18.

(2) Cfr. c. ult. X. III. 2; c. 24. X. V. 40.

habet, si nempe praesente adversario vel eius procuratore prolata sit, vel si scripto et cum expressione causae obligationis facta sit, et quidem non incidenter, sed principaliter (1); patet autem per se, necesse esse, ut de authenticitate illius scripti constet. Item confessio extraiudicialis *iuramento* confirmata vim plenae probationis habet.

In admittenda confessione, non secus ac in notorietate, iudex magna uti debet circumspectione, sive confessio ad interrogationem promotoris iustitiae vel iudicis instructoris facta sit, sive voluntarie et sponte prolata. Confessio praesertim *sponte* emissa de falsitate est suspecta, cum accusatus per eam commodum sibi procurare velle videatur; nam aliud motivum, cur quis seipsum accuset, vix potest inveniri. Aliquis maritus v. g. in iudicio seipsum arguit criminis commissi, puta adulterii, ea intentione, ut inducat mulierem ad separationem. In quolibet casu nemo in causis criminalibus ob suam solam confessionem iudicalem sponte factam condemnari potest, nisi accedant alia indicia suae culpabilitatis. Si vero accusatus nonnisi ad *interrogationem* iudicis et cunctanter confessionem emisit, eum falsa confessum esse non facile praesumendum est. Verum ob confessionem *extra-iudicalem* condemnatio nunquam locum habere potest, nisi accedant aliae probationes. Patet autem, et ipsum *factum* confessionis iudicialis probandum esse, sive id fiat per ratihabitionem confessionis in iudicio, sive per duos testes omni exceptione maiores (2).

*Effectus principales* confessionis iudicialis sunt, ut iudex statim sententiam ferre valeat, etiamsi in praecedentibus actibus iudicialibus ordo iudiciarius non fuerit servatus (3), et ut confesso condemnato ius appellandi praecludatur, nisi appellatio contra ipsam confessionem interponatur, de quo infra plura dicemus (4).

Quaestio, an ille, qui de aliquo crimine accusatur, *teneatur* iudici inquirenti *veritatem fateri*, potius ad theologiam moralem, quam ad ius canonicum pertinet. Iudex autem accusatum interrogare potest *legitime* et *illegitime*. *Legitime* tunc interrogat, si

(1) C. 10. X. II. 19; Glossa in c. 15. C. 3. qu. 9.

(2) C. 23. X. II. 20.

(3) C. 1 in VI<sup>to</sup> V. 1.

(4) C. 61 § « Porro ». X. II. 28.

in accusatum potestatem iudicalem habeat, si praeterea absteineat ab interrogationibus suggestivis et captiosis, si denique praecerit accusatio vel denuntiatio, vel si saltem adsit infamia vel clamorosa insinuatio aut gravia indicia de culpa interrogati habeantur (1). Una ex hisce condicionibus deficiente, interrogatio vocanda est *illegitima*. Iamvero si agatur de interrogationibus *illegitimis*, accusatus potest aut responsum denegare aut verum occultare per verba ambigua, qua in re tamen ei abstinendum esse a quoquam mendacio, per se patet. Si vero iudex *legitime* interroget, accusatus veritatem fateri debet, praesertim si verum se dicturum esse iuraverit. Nam iudicis *iuri* interrogandi ad veritatem exquirendam, necessario correspondet *obligatio* interrogati verum dicendi (2).

Si *complures eiusdem criminis* accusati sunt, confessio unius accusati non directe nocet alteri (3), nisi agatur de haeresi aut schismate (4), aut aliis criminibus in damnum publicum redundantibus, in quibus criminibus atrocibus confessus ut testis contra correos adhiberi potest (5).

c) Illae denique assertiones pro iuridice certis habentur, pro quibus stat aliqua *praesumptio* (6). Praesumere significat factum aliquod ideo pro vero habere, quia cum aliis factis certis adeo arcte connexum sit, ut et ipsum pro vero haberi debeat. Praesumptio autem alia est praesumptio *hominis* seu iudicis, alia praesumptio *iuris* sive legis, prout vel iudex ratiocinando factum quoddam ex aliis factis pro vero habet, vel ius ipsum pro determinatis factis praesumptionem statuit. Solum praesumptio *iuris* efficit, ut factum iuridice certum reddatur, dum praesumptio *hominis*, ex certis facti adiunctis, cum facto probando directe connexis, ab ipso iudice desumpta, licet ad probandum aliquod factum magni momenti esse possit, tamen directe et immediate istud non probat (cfr. infra caput II, art. V, *De iudiciis*).

(1) C. 24. X. V. 1.

(2) *Santi-Leitner*, Prael. iur. can., ed. IV. t. II. p. 124 sq.

(3) C. 10. X. II. 20; c. 54. X. II. 20.

(4) C. 4. C. 15. qu. 3.

(5) C. 5. in VI<sup>to</sup> V. 2; c. 14. X. II. 33.

(6) X. II. 23.

Praesumptio iuris subdividitur in praesumptionem *iuris tantum* et in praesumptionem *iuris et de iure*. Praesumptio *iuris tantum* admittit probationem contrariam, ideoque aliquid pro vero habet, donec contrarium probetur, quo in casu cedit veritati. Quare spectat ad partem adversam probare, quod *de facto* res non sit talis, qualis *a iure* praesumatur; quae probatio contraria si fieri nequeat, sententia in favorem illius partis ferenda est, pro qua stat praesumptio. Hinc non ea pars, cui praesumptio favet, probationes afferre debet, sed onus probandi incumbit semper parti adversae (1). At contra praesumptio *iuris et de iure* probationem in contrarium nulla ratione admittit, nisi probari possit, ipsum *factum*, quo praesumptio innititur, non existere.

Uti praesumptiones iuris inter alias habentur hae:

« Semel malus semper praesumitur esse malus » (Reg. 8 in VI<sup>to</sup>).

« Quilibet praesumendus est bonus, donec probetur malus » (c. un. de Scrutin.).

« Non potest esse iusta Pastoris excusatio, si lupus oves comedit et Pastor nescit » (Reg. 10 in V<sup>to</sup>).

« Quod latenter, aut per vim, vel alias introductum est, nulla debet stabilitate subsistere » (Reg. 5 in V<sup>to</sup>).

« Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius quam actori » (Reg. 11 in VI<sup>to</sup>).

« Ignorantia facti, non iuris excusat » (Reg. 13 in VI<sup>to</sup>).

« Cum quis in ius alterius succedit, iustam ignorantiae causam habere censetur » (Reg. 14 in VI<sup>to</sup>).

« Non est sine culpa, qui rei, quae ad se non pertinet, se immisceat » (Reg. 19 in VI<sup>to</sup>).

« Quod semel placuit, amplius displicere non potest » (Reg. 21 in VI<sup>to</sup>).

« Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse » (Reg. 24 in VI<sup>to</sup>).

« Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere » (Reg. 36 in VI<sup>to</sup>).

« Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum » (Reg. 41 in VI<sup>to</sup>).

(1) C. 2. X. II. 13.

« Qui tacet consentire videtur » (Reg. 43 in VI<sup>to</sup>).

« Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit » (Reg. 45 in VI<sup>to</sup>).

« Praesumitur ignorantia (facti alieni), ubi scientia non probatur » (Reg. 47 in VI<sup>to</sup>).

« In poenis benignior est interpretatio facienda » (Reg. 49 in VI<sup>to</sup>).

« Cum non constat per eum, ad quem pertinet, quominus condicio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset » (Reg. 66 in VI<sup>to</sup>).

2. Si vero contra reum nulla stet praesumptio iuris, neque habeatur aut notorietas sive iuris sive facti, aut confessio iudicialis, procedi debet ad *instruendam causam* seu ad *producendas probationes*. Onus autem probandi incumbit primo loco accusatori (1), secundum principium iuris: *affirmanti incumbit probatio* (2). At non licet, accusatorem suas assertiones *iuramento* probare (3). Quodsi accusator affirmationem seu accusationem suam probare non valet, accusatus absolvitur, iuxta regulam iuris: *actore non probante reus absolvitur*. E contra accusatus tunc tantum assertiones suas probare debet, si affirmationes accusatoris non solum neget, sed etiam positive impugnet vel reconventionem instituat, secundum principium iuris: *reus excipiendo fit actor*.

Patet autem, nonnisi probationes *revelantes* admitti posse, scilicet probationes, quae causam criminalem praesentem respiciant. Hinc omnes probationes *irrevelantes*, quae istam causam non spectant, nullius sunt valoris et a iudice reiiciendae. Neque illas probationes iudex admittat, quae manifesto solum ad protrahendum processum exiguntur aut proponuntur, neque permittat, ut vocentur testes, qui in longinquis regionibus aut in loco ignoto habitant, aut ut probatio fiat per instrumenta, quae nonnisi difficillissime produci possunt. In defectu tamen aliarum probationum iudex per sententiam interlocutoriam decernere potest,

(1) C. 3. § ult. X. II. 12.

(2) L. 2. D. 22. 3.

(3) C. 2. X. II. 19.

ut etiam tales probationes, quoad necessariae sint, producantur. Illico vero, utpote nullae, reiiciendae sunt probationes, quas accusator extra iudicium quocumque modo privatim conficere studuerit, praesertim supplices libelli, petitiones, spontaneae declarationes aliave subsidia privata extraneorum.

3. Probationes tunc tantum sunt *validae*, si a iudice competente admittuntur et iudicialiter, idest ab ipso iudice vel a notario vel ab alia persona iudiciali (1) ad id deputata in scriptis rediguntur. Iudicis etiam est, praefigere tempus, modum et terminum productionis probationum.

4. Ad *vim probationum* a iudice *taxandam* quod attinet, iudex sequi debet intimam suam persuasionem, quae innitatur probationibus in actis exstantibus. Si vero lex ipsa de vi certae cuiusdam probationis expresse quid statuerit, ex. gr. depositiones concordantes duorum testium iuratorum omni exceptione maiorum *plenam* constituere probationem, iudex secundum hanc legem sententiam ferre debet, etsi ipse ex privata scientia aliud quid persuasum habeat.

Probationes in *una* instantia productae valide assumi possunt in *altera* instantia (2). Hanc dispositionem iuris valere etiam in casu, quo ea, quae iam coram iudice *saeculari* acta et probata sunt, a tribunali *ecclesiastico* assumuntur, vix in dubium vocari potest (3).

Probatio *semiplena* ad condemnandum accusatum nunquam sufficit; si enim culpa accusati non probata est nisi semiplene, applicari debet supra dictum principium iuris: *actore non probante reus absolvitur* (4).

*Famam* accusati in processu criminali quod spectat, omnes canonistae unanimiter docent, famae non aliam rationem habendam esse, quam ut *iudicium* quoddam ad inquisitionem instituentem praebere possit, nunquam vero eam constituere ne semiplenam quidem probationem (5).

(1) C. 11. X. II. 20; c. 5. X. II. 22.

(2) C. ult. X. II. 19.

(3) C. 2 in VI<sup>to</sup> II. 2.

(4) C. 3. X. II. 12.

(5) C. 24. X. V. 1.

5. Probatio autem ipsa est:

a) aut probatio *naturalis* seu *directa*, si videlicet factum probandum qua tale est immediatum obiectum formalis argumentationis, aut probatio *artificialis* seu *indirecta*, si nempe immediatum obiectum probationis est aliquod aliud factum, quod cum facto probando aliquo modo ita est connexum, ut, si de illo facto constet, concludi possit, etiam de isto facto constare;

b) Probatio deinde alia est *simplex*, alia *composita*, prout uno medio probationis plene conficitur vel nonnisi coniunctione complurium mediorum probationis, quorum nullum per se solum plenam vim probandi habet, quae tamen coniuncta persuasionem moraliter certam gignere idonea sunt.

c) Distinguitur denique probatio *principalis* seu prima, et probatio *contraria* seu reprobatio. Probatio contraria tunc habetur, si probatur contrarium illius, quod probatio principalis adstruere intendit.

#### CAPUT SECUNDUM. — De probationibus in specie.

1. Uti iam innuimus, iudex in quovis processu imprimis curare debet causam per probationes *instruendam*; probationes enim erunt fundamentum sententiae ab eo ferendae. In periodo igitur probatoria producenda sunt argumenta legitima, per quae iudici fiat fides, factum quoddam incertum materialiter et formaliter esse verum. Id praesertim in processu criminali est magni momenti, cum in eo agatur de culpa aut innocentia accusati.

2. Non omnia media probationis habere eandem vim probandi ideoque neque eandem persuasionem in iudice efficere per se patet. Alia efficiunt hanc persuasionem directe seu *immediate*, alia nonnisi *mediate*. Ad media probationis prioris generis pertinent notorietas, confessio iudicialis et praesumptio iuris. Cum proprie dicta instructio causae, uti supra iam ostendimus, non amplius requiratur, si unum ex istis mediis probationis adduci possit, iuri consentaneum est, proceduram processualem ab iis cognoscendis exordiri. Iudex enim, postquam demonstravit, unum ex istis mediis probationis in casu haberi, ut plurimum statim sententiam potest ferre, quin causam alio modo instruendam curet.

Media autem probationis sensu proprio, quibus procurandis iudex in processu criminali studere debet, sunt inspectio ocularis, depositiones testium, vota peritorum, instrumenta seu documenta, et indicia; aliquo modo sensu improprio huc referri potest etiam iuramentum purgatorium.

ARTICULUS PRIMUS. — De inspectione oculari.

1. Inspectio ocularis est primum et principale medium probationis, quod in certis adiunctis iudicem de ipsa notorietate facti possit convincere, ita ut quaevis alia probatio sit superflua. Consistit autem in immediata perceptione per sensum aliquem corporeum, quam de facto probando facit *aut* ipse iudex qua talis, *aut* aliquis ab eo specialiter ad id delegatus. Iudex enim, si necessarium censeat, locum, in quo delictum fuit commissum, vel aliquam rem, v. g. instrumenta, ex officio inspicere, per decretum iudiciale statuit, inspectionem ocularem esse perficiendam, simulque determinat, saltem in genere, eius obiectum seu ea, quae in specie sunt inspicienda.

2. Inspectio ocularis peragenda est *aut* ab ipso iudice ut moderatore processus, *aut* ab aliquo assessore, vel etiam a peritis iuratis, v. g. a medicis, quando agitur de aliquo assassinio vel de aliqua vulneratione. Fieri potest quoque per imploratum subsidium iuris illius Ordinarii, in cuius dioecesi ille locus vel illa res sita est. Iudex vel eius deputatus inspectionem peragere potest aut solus aut una cum peritis. Quoad electionem peritorum eorumque modum procedendi observanda sunt, quoad fieri potest, praescripta infra in capite *De peritis* tradita. Quodsi iudex censeat, nullum esse periculum agitationum, litium, discordiarum, scandalorum etc., decernere potest, ut etiam ipsae partes, videlicet promotor iustitiae et accusatus, inspectioni oculari assistere possunt, ad quem finem iudex diem et locum inspectionis antea cum eis communicare debet.

3. In loco inspectionis iudex potest *examinare testes*, ex officio vel ad instantiam partium eo citatos, si ad probanda vel declaranda facti adiuncta id opportunum censeat. Actuarius autem adstans conscribere debet relationem accuratam de inspectionis modo et successu, cum indicatione diei et loci inspectionis pera-

etae, personarum, quae ei intererant, eorumque, quae in ea sunt dicta, gesta et a iudice decreta. Istud documentum deinde subscribi debet a notario et a iudice. *Expensae* autem reficiendae sunt ab accusato vel a Curia ecclesiastica, prout videlicet accusatus condemnabitur aut absolvetur.

4. Si ex inspectione oculari resultaverit, quod de ipso *facto* probando constet, istud factum ulteriore probatione iam non indiget. Facti vero *adiuncta*, in inspectione comprobata, iudici saltem indicia praebere possunt ad ipsum factum iudicandum.

5. Verum iudex etiam *extraiudicialiter* per inspectionem ocularem sese informare potest, quo in casu opus ipse non habet notario neque protocollo. Eiusmodi informatio extraiudicialis saepius iudici res reddit faciliores cognitu.

ARTICULUS SECUNDUS. — De Testibus.

1. Medium probationis, quod prae omnibus aliis adhibetur et in praxi maximi est momenti, est depositio testium. Habentur autem diversae classes testium. Illi testes, qui ex propria scientia de aliqua re deponunt, a iure vocantur testes *de scientia* seu testes *de visu*; hi igitur sunt illae personae, a ministris iudicialibus et a partibus distinctae, quae facta in processu probanda propriis sensibus, idest oculis vel auribus, ceperunt et super hac sua perceptione in iudicio deponunt. Testes econtra *de credulitate* nil aliud proferunt nisi suam opinionem de certo quodam facto, dum testes *de auditu* iudicialiter deponunt, se factum quoddam auditu compertum habere. Etiamsi depositiones testium de credulitate aut de auditu factum non directe testificentur, tamen in certis circumstantiis praesumptionem quandam gignere et ut indicia ad fidem alicuius rei faciendam conferre possunt.

3. Sicuti iudex, ita etiam testes praediti sint necesse est certis quibusdam physicis et moralibus qualitatibus, quas aut natura rei fert aut ius specialiter requirit; depositiones igitur testium, qui talibus qualitatibus non sunt muniti, nullius sunt valoris iuridici. Hinc distinguuntur testes *inhabiles*, testes *suspecti*, et testes *classici* seu omni exceptione maiores. Iamvero tantummodo concordēs depositiones saltem duorum testium classicorum plenam fidem alicuius facti faciunt. Inhabilitas autem testium

necnon suspicio in eos est aut *absoluta* aut *relativa*, prout existit aut semper et ubique aut nonnisi quoad certam quandam personam vel certam quandam rem.

3. In specie autem a fungendo munere testis in processibus criminalibus *excluduntur*:

a) *Iudex, partes litigantes*, accusatus nempe et accusator seu promotor iustitiae, earumque *procuratores*; denuntiantes vero non fiunt inhabiles (1). Item excluduntur ii omnes, qui suapte natura sunt inhabiles vel inhabiles erant eo tempore, quo factum testandum commissum est, velut *infantes, caeci et surdi*, si agatur de attestazione rerum quae visu vel auditu cognoscuntur, *amentes et ebrii*. Neque *sacerdotes* deponere possunt de iis, quae ex confessione aut occasione confessionis directe vel indirecte cognoverint, sive de ipso poenitente, sive de tertiis personis, quamvis a poenitente licentiam loquendi impetraverint. Eorum attestaciones igitur ne tamquam indicium veritatis quidem admitti possunt.

b) A ferendo testimonio ipso iure et simpliciter arcentur etiam *excommunicati vitandi* (2); excommunicati autem tolerati nonnisi ad instantiam partium sunt repellendi. Item sunt inhabiles ii, qui ob crimen *periurii* iudicialiter, licet semel tantum, condemnati sunt, aliique *infames* (3) omnes, tam infamia iuris, quam facti, necnon illi, qui adeo perditii sunt, ut eo ipso indigni habendi sint quibus fides sit habenda. Excluduntur etiam ii qui cum accusato notorias et graves *inimicitias* habent aut summa *familiaritate* cum eo coniuncti sunt (4). At isti omnes a iudice, si id opportunum censeat, per modum exceptionis admitti et super aliquo facto vel super aliqua facti circumstantia examinari possunt; eorum tamen depositiones valorem dumtaxat indiciorum habent.

c) Quamvis *impuberes et imbecilli* eo ipso et simpliciter uti inhabiles a ferendo testimonio sint exclusi, tamen et isti, si iudex necessarium et opportunum id censeat, de facto quodam vel de quadam facti circumstantia examini subiaci non prohibentur,

(1) C. 4<sup>o</sup>. X. II. 20; c. 3 in VI<sup>to</sup> II. 10.

(2) C. 8 in VI<sup>to</sup> V. 11; c. 13. X. V. 7.

(3) C. 11. C. 3. qu. 4; c. 7. X. II. 21.

(4) C. 3. C. 4. qu. 3; c. 19. X. V. 1.

cum eorum depositiones forte ut indicium ad veritatem eruendam inservire possint.

d) *Coniuges*, necnon *sponsi*, pro se invicem, et partis *consanguinei* vel *affines* in linea directa omnes et in linea collateralis usque ad secundum gradum, tunc tantum testimonium ferre possunt, si agatur de rebus, quae respiciunt personarum intime inter se coniunctarum civilem aut religiosum statum, qui aliter probari nequit quemque definire boni publici interest (1).

Cum vero temporum adiuncta in non paucis sint mutata, omnes et singulae dispositiones iuris antiqui iam non semper possunt observari. Quare remittitur prudenti arbitrio iudicis, dispositiones iuris positivi singulis casibus applicare.

4. Testes contra accusatum *proponuntur* ab accusatore seu a promotore iustitiae, dum ab accusato producantur testes, qui pro ipso testimonium dicant. Pars autem, quae aliquem testem proposuit, eius examini postea renuntiare potest, nisi adversarius expresse contradicat. Iudex ipse in causis, quae respiciunt bonum commune, iuxta prudens suum arbitrium testes ex officio citare potest.

Si quis ad deponendum de facto quodam publico vel notorio in iudicio compareat, *quin citatus* fuerit, iudex notarium deputare potest, ut eius depositionem perscribat, dummodo iste testis non citatus praeditus sit qualitatibus, quae generatim in testibus requiruntur. Semper vero repellendus est testis non citatus, si iudex suspicionem fundatam habet, eum nihil aliud intendere, quam ut processum protrahat vel causam perturbet, vel eum alio veritatis et iustitiae detrimento velle ut interrogetur. Immo S. Officium (2) de iis, qui sponte se offerunt ad deponendum contra aliquem, etiam haec dicit: *Animadvertat iudex, ne admittat eos, qui sponte ad examen accesserint, quia mendaces praesumuntur*. Maxima igitur cautio adhibenda est in admittendis testibus non citatis.

*Productio* testium ita fit, ut pars, quae probationem per testes postulat, testium nomen et locum habitationis, scriptis

(1) Cfr. c. 3. C. 4. qu. 3.

(2) Instr. 30 Iun. 1883, P. II. tit. VII. art. IV. n. 42.



vel verbis, ad tribunal deferat et insuper articulos proponat, super quibus examinandi sint; parti, qui hos articulos proponere neglexerit, iudex statuere potest terminum, infra quem id facere debeat; quo termino inutiliter elapso, praesumitur, partem citationi et examini testium propositorum renuntiasse.

5. Quoad *numerum* testium a iure canonico statutum est, ut singulae partes ad singulos articulos probandos dumtaxat *septem* testes proponere valeant. Quoties vero in aliquo processu complures articuli inter se diversi probandi sunt, curet iudex, ut partes, si fieri possit, eosdem testes pro singulis articulis producant. Numerum a lege permissum iudex semper potest imminuere, si tot testes superflui esse videantur, potest autem admittere etiam numerum maiorem, si pro gravi vel ardua causa id videatur expedire. Hinc iudicem numerum testium, etiam illorum, qui pro reo testantur, tunc imminuere posse cavet ius canonicum (1): *si ea productio effraenata videatur vel ad causam definiendam prorsus inutilis* (2). Ex iure communi *tres* tantum productiones testium fieri possunt (3); *quarta* productio non permittitur, nisi producens iuraverit, se testes de novo propositos prius non cognovisse et tunc demum reperisse.

De quo haec habet Reiffenstuel (4): « Ultra tertiam productionem non debent testes produci in causa; nisi praestito ab eo, qui hoc postulat, iuramento quod neque per se, neque per alium testificata subtraxerit, vel fuerit percunctatus; nec per dolum aut artem aliquam quartam productionem exposcat; sed quia, quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit ».

6. Iudicis est, ex testibus a partibus propositis illico eos *reiiicere*, quos iuxta regulas superius traditas esse inhabiles aut suspectos constat. At etiam utrique parti integrum est, testes a parte adversa productos ut absolute vel relative inhabiles vel ut suspectos recusare; in casu tamen exceptionis contra aliquem testem ob suspicionem *causa* suspicionis adduci debet. Haec autem recusatio facienda est *ante examen* testium, si partes huic

(1) Cfr. etiam l. 1. § 2. D. 22. 5.

(2) Instr. S. C. Epp. et Reg. 11 Iun. 1880.

(3) C. 15. 55. X. II. 20

(4) Ius. can. univ. l. II. t. XX. § 13. n. 446. et 447.

intersint, secus saltem *ante publicationem* depositionum testium. Non licet, postea demum contra testes excipere, nisi pars probaverit, se causam recusationis nonnisi post examen testium vel post publicationem eorum depositionum cognovisse. Quoniam igitur partes ius habent recusandi testes, nomina testium ab una parte productorum cum altera parte communicari debent, et quidem antequam testes examinentur, si partes examini intersint, in aliis autem casibus saltem antequam depositiones factae publicentur. At sunt etiam casus, uti infra exponetur, in quibus nomina testium reticere possunt debentve.

7. Ad *citationem* testium quod attinet, ipse iudex testes citare debet iisdemque citationem rite intimari curet, servatis regulis pro citatione partium statutis. Quodsi persona, quae sive ad instantiam partis, sive ex officio ad attestationem faciendam producenda est, fortuito in aula audientiae adsit, iudex eam invitare potest, ut statim depositionem suam faciat. Si citatio alicuius testis, non obstantibus mediis contra eum adhibitis, irrita manserit, iudex sive ad instantiam partis, sive ex officio processum continuare potest et defectum, ortum ex eo, quod interrogatio testis inobedientis locum habere nequit, per alia testimonia vel per alia media probationis supplere debet. Cardinales, principes regnantes et praesides republicarum nequeunt citari, ut in iudicio ferant testimonium. Si nihilominus a partibus eorum testimonium exigatur, rogandi sunt, ut in domum suam excipiant iudicem cum notario, cui deinde depositiones suas facient; iusiurandum vero ab eis non exigitur, sed eorum depositionibus non iuratis plena fides est tribuenda. At contra, Episcopos citari licet, sed hi locum eligere possunt, in quo iuramentum de veritate dicenda praestare et depositiones suas facere maluerint; debent proinde iudicem certiore reddere, quem locum elegerint. Quae in re Episcopis aequiparantur homines illustres (1), iique omnes, qui ex legibus civilibus locorum ob dignitatem suam exempti sunt ab onere personaliter comparendi coram iudice civili.

8. Depositio testis tunc tantum *vim* habet *probandi*, si ante examen de eius *identitate* constiterit et testis *iuramentum* praec-

(1) C. 8. X. II. 20.

stiterit, se integre ad ipsam legem veritatis locuturum neque gratia neque odio motum iri. De quo iuramento de veritate dicenda citata Instructio S. Congr. Epp. et Reg. art. XVIII haec praescribit: *Testes ad probationem aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub iuramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti.* Iuramentum praestatur a laico, dum manu tangit S. Evangelium, a clerico, dum manum pectori imponit. Si vero personae iuxta superius exposita inhabiles aut suspecti in casu quodam particulari examini subiiciantur, iuramentum eis deferre non licet. *Recusatio* iuramenti ex parte eorum, qui illud praestare debent, aequiparatur depositionis detrectationi. Iisdem autem iuramentum potest *remitti*, si partes consentiant, neque obstat bonum publicum (1).

Licet iuramentum ordinarie *ante depositionem* sit praestandum, tamen iudex ex causis rationabilibus, si v. g. dubitet de testis habilitate aut credulitate, potest illud aut differre, usque dum depositio facta sit, aut illud exigere solum quoad particularem quendam articulum, aut etiam nullo modo exigere. Item remittitur prudenti iudicis arbitrio, absoluto testis examine, ab eodem, non obstante iuramento iam praestito, iterum iuramentum exigere, ut scilicet iterum affirmet, se solam et totam veritatem dixisse, vel eidem iterum deferre iuramentum quoad certum quendam articulum.

Iudex moneat testem, priusquam eum ad iusiurandum adigat, de sanctitate actus et de responsabilitate, quam per praestationem iuramenti in se suscipiat, necnon de poenis temporalibus et aeternis, in quas propter periurium incurreret. Moneat etiam testem, cui iuramentum non defertur, ut dicat solam et totam veritatem.

In causis autem spiritualibus et in omnibus aliis causis, quae bonum publicum respiciunt, testes insuper adstringi possunt ad *secretum* servandum, seu ad silentium tenendum de propositis interrogationibus datisque responsionibus, usque ad publicationem depositionum; immo, si scandalum, infamia tertii, inimicitiae aut

(1) De iuramento testium cfr. c. 3. C. 4 qu. 3. § 37; c. 10. 29. 39. 47. 51. X. II, 20.

alia gravia incommoda ex publicatione vel ex divulgatione oriri possint, ad secretum perpetuum obligari possunt.

9. Ad *locum* examinis testium quod attinet, examen ordinarie faciendum est in ipsis aedibus tribunalis, et quidem, si fieri possit, in ipsa aula audientiae. Ad examinandos aegrotos aliosque qui, sive physice, sive moraliter, a comparitione personali impediti sunt, necesse est, ut iudex cum notario in eorum domum se conferat ibique iisdem iuramentum deferat. Si agatur de testibus extra dioecesim habitantibus, Episcopus ab illo Ordinario loci subsidium iuris petere debet per litteras rogatorias, quae contineant interrogationes testi proponendas unacum declarationibus, si quae necessariae sint. Hinc citata Instructio S. C. Epp. et Reg. art. XIX praescribit: *Testium absentium aut in aliena dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo apposita facti adiuncta. Auctoritas requisita petitioni respondet, servando praesentis Instruktionis normas.* Si examinandi sint testes, qui in longe dissitis locis eiusdem dioecesis habitant, et ad iudicem aut nullimode aut nonnisi magnis impensis accedere possunt, iudex interrogationes testi proponendas unacum necessariis declarationibus transmittat ad aliquem dignum et idoneum sacerdotem vicinum, eundemque deputet ut testes examinet, adhibito altero sacerdote aut honesto laico, prout casus ferat, qui munere secretarii seu actuarii fungatur.

10. Partes ipsae examini testium adesse generatim prohibentur. Si vero agatur de causa criminali civiliter acta, iudex partibus aut eorum procuratoribus permittere potest, ut testium examini intersint, dummodo testes sint immunes a timiditate aliisque incommodis. In tali casu igitur partes certiores sunt faciendae de citatione testium, necnon de loco et tempore examinis eorundem. At promotor iustitiae in omnibus processibus criminalibus criminaliter actis ad testium examen est vocandus, eique assistere *debet*.

11. Quoad *modum* examinis praescribitur, ut singuli testes alius post alium et seorsim interrogentur. Quod citata Instructio art. XVII disertis verbis exprimit: *Personae, quas examinare expediat, semper audiuntur separatim.* Tamen remittitur prudenti iudicis arbitrio, interdum depositiones diversorum testium inter se aut cum assertionibus accusati comparare, atque con-

frontationem testium inter se aut cum accusato instituere, tunc videlicet, si depositiones testium cum assertionibus accusati aut aliorum testium in aliqua parte essentiali directe pugnent vel ab eis discrepent, neque ad detegendam veritatem detur alia via expeditior. Verum in hisce duobus casibus quodvis probabile periculum, ne ex confrontatione oriantur scandala aut inimicitiae, remotum sit oportet. Confrontatio *personalis* inter testes et accusatum nunquam praescribitur, et solum in criminibus atrocioribus eam adhibere consultum erit. Accusatus enim non nisi ad confrontationem *verbalem* ius habet, idest exigere potest, ut sibi manifestentur nomina testium eorumque depositiones.

12. *Examen ipsum* est conficiendum aut a iudice, aut ab aliquo ad id specialiter deputato, adstante semper actuario seu notario (1). Ius interrogandi competit soli iudici vel eius delegato. Quodsi accusatus vel eius defensor aut accusator vel promotor iustitiae, qui processui interest, post absolutam examen a teste adhuc aliquid aliud cognoscere velint, ipsos testem interrogare non licet, sed iidem *iudicem* rogare possunt, ut testi proponat certas interrogationes.

13. Ad *formam* examinis testium quod attinet, testis imprimis interrogandus est de propria personalitate, scilicet de nomine, aetate, condicione et domicilio, necnon de suis relationibus ad accusatum, ut constet de eius identitate et de idoneitate ad testandum. Deinde instituitur examen de ipso merito causae. Interrogationes autem debent esse breves et ad causam pertinentes, prohibentur omnes interrogationes contortae, captiosae, insidiosae, offensivae, suppositivae vel suggestivae; non licet testem per modum interrogandi ad certas responsiones dandas adducere et impellere (2). Si interrogationes testibus proponendae iam ab accusato vel eius defensore aut ab accusatore seu a promotore iustitiae compositae sint, iudicis est, eas examinare et si opus sit, corrigere, mutare vel complere; sin autem antea non sint compositae seu ad verbum conscriptae, ipsius est eas aptis verbis conficere. Id praecipue iudici cordi esse debet, quod *causa* scientiae a teste

(1) C. 11. X. II. 19.

(2) *Santi-Leitner*, Prael. iur. can., ed. IV. t. II. p. 163 sq.

eruatur, eum interrogando: « *Unde haec scis?* » (1). Interrogationes, quae ad rem non pertinent, sunt omittendae, atque a iudice repudiandae. Regula generalis est, interrogationes testibus non iam ante examen esse manifestandas; si vero iudex putet, ad faciendas certas depositiones de factis, praesertim si haec multo ante acciderint, necessarium esse et tuto fieri posse, ut testes de interrogationibus antea certiores fiant, earum notificatio a iudice facienda non prohibetur.

14. Responsiones a teste dandae debent esse *orales*, non antea scriptae. *Personae audiuntur*, dicitur in cit. art. XVII. Instructionis S. C. Epp. et Reg. Depositionem antea conscriptam legere non permittitur, nisi agatur de numeris vel datis, aut nisi scripto quis utatur ad alias res in memoriam sibi reducendas. Responsionum summa ab actuario statim scriptis est redigenda, immo responsiones conscribendae sunt *ad verbum*, tum, si iudex id necessarium censeat, tum si ipse testis vel accusatus aut accusator seu promotor iustitiae id exegerit. Praeter depositiones a testibus de seipsis et de merito causae factas perscribendae sunt annotationes de iuramento, an scilicet id fuerit praestitum, vel remissum, vel recusatum, de praesentia partium aliarumque personarum, de interrogationibus ab ipsis partibus factis, de aliisque rebus notatu dignis, quae in examine testium acciderunt. Antequam testis dimittatur, depositiones ab actuario scriptae ei traduntur recognoscendae vel potius ei leguntur, ut, si opus sit, possit aliquid addere, vel demere, corrigere vel mutare. Deinde protocolium subscribitur a teste, a iudice et a notario. Si testis scribere nesciat, id in ipsis actis est notandum una cum declaratione, testi depositiones suas esse lectas et ab eodem in hac forma approbatas. Quodsi ex quacumque causa necesse sit, ut examen testium per longius tempus interrumpatur aut in diem sequentem transferatur, id quoque est registrandum, atque acta ibi, ubi examen abruptum est, subscribenda sunt a iudice et notario (cfr. pag. 30). Testes iam semel examinati tum ad instantiam accusati vel eius defensoris aut promotoris iustitiae, tum ex officio, ante conclusionem in causa seu antequam productioni

(1) C. 37. X. II. 20.

probationum finis imponatur, iterum examinari possunt, si iudex ad illustrandum quendam articulum adhuc obscurum vel dubium, aut ad aliquam rem certiore et clariorem reddendam id opportunum vel necessarium censeat, dummodo exclusum sit omne periculum collusionis et corruptionis. Testes proinde, si fieri possit, non sunt dimittendi, antequam totum examen sit absolutum.

Si iudex testis examinandi linguam non intelligat, constituendus est *interpretes*, qui interrogationes et responsiones ad verbum fideliter transferat, et quidem talis, contra quem partes, accusatus nempe et promotor iustitiae, nihil habeant, quod excipiant. Interpretes iuramentum de officio fideliter implendo praestare debet et secretum servare tenetur. Salarium interpreti solvendum a iudice determinari debet, ratione habita illius condicionis et consuetudinis loci.

De examine testium in processibus contra sollicitantes ad turpia, S. Officium die 20 Iulii 1890 statuit normas peculiare, de quibus infra singillatim agemus.

15. Licet secundum superius exposita quisque testis iudici legitime interroganti respondere debeat, tamen sunt quaedam personae, quae *ab onere testandi sunt exempti*, et quidem:

a) *Confessarii*, qui nullimode ad deponendum de aliqua re ad confessionem pertinente citari possunt (cfr. pag. 62).

b) Neque partis accusatae *consanguinei* supra (pag. 63) recensiti tenentur deponere in damnum accusati, nisi agatur de eius statu civili aut ecclesiastico. Ideo nec parentes contra liberos neque vice versa liberi contra parentes deponere cogi nequeunt (1). Idem valet de affinibus in propinrioribus gradibus et de consanguineis, qui propinqua cognatione accusato sunt iuncti (2). Huc referendi sunt etiam omnes *senio* vel *debilitate* confecti (3).

c) *Parochi aliique sacerdotes* nequeunt citari ad testimonium ferendum de illis rebus, quae eis vi officii, licet extra confessionem sacramentalem, concredita sunt. Idem dicendum de *officialibus saecularibus, medicis, obstetricibus, advocatis, notariis*, de iis denique omnibus, qui relate ad res vi officii ipsis com-

(1) C. 3. § 34. C. 4. qu. 3.

(2) C. 3. C. 4. qu. 3; c. 1. C. 3. qu. 5.

(3) C. 8. X. II. 20.

missas, ex iure naturali vel ex iure positivo ad secretum officii tenentur.

d) Neque ii deponere cogi possunt, qui non nisi cum periculo infamiae, molestiarum magnarum, inimicitiarum, persecutionum aut aliorum gravium malorum testimonium ferre possunt, sive haec mala ipsis testibus immineant, sive eorum consanguineis et affinibus in aliquo gradu lineae rectae aut in primo vel secundo gradu lineae collateralis. Cui periculo autem si possit occurrere per secretas depositiones, testimonium ab eis exigi poterit ea adiecta condicione, ut eorum nomina non manifestentur, neque eorum depositiones, sive omnes, sive nonnullae, appareant tamquam ab ipsis datae. Hisce autem condicionibus iudex semper et ubique est astrictus, etiamsi agatur de tribunalibus superioribus; ea omnia igitur evitare debet, quae testi praeiudicio esse possunt.

Iudex tamen in casibus supra expositis testem ipsum iuramento debet obstringere ad secretum servandum de omnibus propositis interrogationibus datisque responsionibus, donec hac obligatione legitime sit solutus. Testis autem, qui secretum iuramento ei impositum violaverit, praeterquam quod peccatum grave committit et poenis ecclesiasticis puniri potest, amittit ius postulandi a tribunali, ut istud ex parte sua adhuc servet secretum.

Personae ab obligatione testandi exempti, si forte iuris sui sint insecii, ante examen a iudice *edoceri* debent, quod ipsis ex lege competat ius denegandi responsiones.

Ille testis denique, qui testimonium suum ex toto vel ex parte *denegare* velit, saltem pridie examen id unacum rationibus notum facere debet iudici, sive scriptum exhibendo, sive rem actuario dictando. Iudicis autem erit decernere, utrum, necne, testi revera ius competat testimonium denegandi. Ille testis vero, qui pertinaciter deponere recuset, etsi rationes ab ipso adductae a iudice non fuerint comprobatae, aestimabitur et tractabitur uti contumax.

16. Si nec partes neque earum procuratores examini testium interfuerint, iudex, absoluto examine, depositiones testium statim *publicare* seu partibus vel eorum procuratoribus manifestare potest, observatis plane regulis de secreto servando superius traditis. Potest tamen, si id opportunum censeat, publicationem differre,

usque dum ceterae quoque probationes sint productae (1), ne scilicet statim contra depositiones testium excipiat ne processus protrahatur. Post publicationem depositionum *novi testes* super iisdem articulis non nisi maxima cum cautione et solum iusta de causa admitti possunt (2), si agatur de processibus, quorum sententia vel non est definitiva vel saltem non transit in rem iudicatam (3). Hoc autem in casu, amoto quolibet fraudis vel doli periculo, promotor iustitiae est audiendus, antequam novi testes examini subiiciantur.

Alius effectus publicationis depositionum testium in eo consistit, quod *testes ipsi non amplius* possint recusari (4), uti iam supra (pag. 65) diximus. Excipi tamen potest contra *depositiones* testium et contra *modum examinis*, quamobrem iudex accusato et promotori iustitiae breve quoddam tempus praefiniat, intra quod, si velint, ius suum excipiendi possint exercere. Recusatio testium ob *modum* instituti examinis ita proponenda est, ut probetur, in testium examine non observatam esse formam iuridicam, quia testes v. g. non singillatim neque seorsim examinati sint. Exceptio autem contra ipsas *depositiones* testium tunc admittitur, si probetur, testes deposuisse vel falsa, vel contraria, vel ambigua, vel obscura, vel ea, quae non ex propria scientia noverint, etc. Iudex vero, cum exceptiones admittendas esse decreverit, procedit sicuti in aliis actibus incidentibus.

Eiusmodi tamen exceptiones non admittuntur in processibus, qui celeriter expediendi et parvi momenti sunt, si agatur de negotio incidente seu de quaestione secundaria, quae per sententiam interlocutoriam iam decisa fuit. Neque tunc tales exceptiones admitti possunt, si iudici persuasum sit, eas opponi absque iusta causa et dumtaxat ad protrahendum processum, vel causam definiri posse nulla habita ratione depositionum illorum testium, contra quos excipitur.

(1) C. 2. 22. 30. X. II. 20.

(2) Cfr. c. 17. 18. 19. X. II. 20.

(3) Cfr. c. 35. X. II. 20.

(4) C. 31. X. II. 20.

17. Uti *contumax* habendus et ex iure communi (1) poenis ecclesiasticis a iudice coercendus est ille testis, qui citatus aut non compareat, vel absque legitima excusationis causa in iudicium venire expresse recuset, aut compareat quidem, sed recuset vel testimonium ferre, vel iuramentum praestare, vel depositiones factas subscribere, item adducens vel nullam rationem, vel talem, quam iudex declarat insufficientem et illegitimam. Iudex autem antequam poenas infligat, secundum art. XX citatae Instructionis S. C. Epp. et Reg. deliberare debet, an reluctantis testimonium forte alio modo possit suppleri: *Quoties ob facta aut adiuncta essentialiter utilia merito causae, maxime opportunum esset testes interrogare, qui examini subiici nequeant, eo quod censeatur haud expedire, ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorum fit in actibus, et curatur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium, qui de auditu, aut alia ratione noverint id quod exquiritur.* Ex hoc articulo sequi videtur, testes non posse cogi per censuras (laici per excommunicationem, clerici per suspensionem), ut compareant et deponant.

Testi e contra qui *comparet* et deponit reficiendae sunt expensae itineris et commorationis in loco tribunalis inquirentis. Nemo vero exigere potest, ut sibi compensetur damnum ex intermissione officii vel laboris ortum, nisi agatur de *magno* damno pecuniario, cum quisque christianus debeat esse paratus, iustitiae causa, parva damna pati. Iudicis autem est, audito teste et, si opus sit, consultatis rerum peritis, determinare, quaenam restitutio expensarum sit facienda, et quaenam damna sint resarcienda.

18. Ad *vim probandi* depositionum testium denique quod attinet, iudex in ea iudicanda seu aestimanda ante oculos habere debet: *condicionem testis*, utrum nempe ad eam faciendam vi officii publici idoneus sit, necne, utrum sit diligens religionis cultor, necne, utrum testis sit testis *immediatus*, qui scilicet deponit de iis, quae propriis sensibus percepit, an *mediatus* tantum, qui videlicet deponit solum iuxta suam opinionem vel ea, quae ab aliis audivit; praeterea, utrum sit homo *firmus, verus, constans*, an homo *varius, levis, mobilis*; denique, utrum sit *contestis*, an testis

(1) C. 1. 2. X. II. 21.

*singularis*, cum in priore casu eius testimonium non tanti ponderis sit oporteat, quanti in altero. Depositionem alicuius testis sibi directe *contradicens* nullius esse valoris patet (1). Si testes inter se sint *contrarii*, iudicis est expendere, utrum eorum depositiones in rebus substantialibus directe sibi contradicant, ideoque invicem sese excludant, an solum in rebus minoribus secum discrepent, vel potius invicem sese compleant. Duo vel tres testes *omni exceptione maiores*, qui ex immediata seu propria perceptione, de aliqua re vel de aliquo facto in iudicio firmiter (2), fortiter et concorditer deponunt, ad plenam fidem faciendam sufficiunt (3), nisi in certa quadam causa a iure vel a iudice, sive ob illius rei pondus et vim, sive ob indicia, quae non omne dubium in contrarium excludant, necessarium censeatur, per maiorem numerum testium (4) rem plenius probare. Semper igitur est *iudicis* expendere, quem valorem habeant testium depositiones, num et quanta vis iis insit, iuxta normas supra traditas.

ARTICULUS TERTIUS. — De peritis.

1. Aliquando in processu quoque ecclesiastico iudici opus est votis peritorum, ut scilicet se informet de quaestionibus, quae non ius, sed factum spectant. *Periti* a iure canonico intelliguntur testes specialibus qualitatibus praediti, qui propter suam singularem alicuius scientiae vel artis cognitionem vel experientiam, facta vel facti circumstantias singularis speciei valeant percipere et iudicare, atque de iisdem authentice possint referre. Periti iudicem de ea re docent, quae si non cognoscatur, tuto nequeunt iudicari certa quaedam facta, cum ad ea cognoscenda iudicis scientia communis non sufficiat, velut de gravitate alicuius vulneris, de litteris documentorum, de taxatione damnorum, etc. Hinc iudex etiam in processibus criminalibus quandoque et *potest* et *debet* uti opera peritorum, sive ad instantiam partium, sive ex officio.

(1) C. 9. X. II. 19.

(2) C. 15. C. 3. qu. 9; c. 20. C. 3. qu. 9.

(3) C. 4. 10. 23. X. II. 20.

(4) Cfr. c. 23. X. II. 20; c. 2. 3. C. 2. qu. 4.

2. Peritos *eligere* seu designare per se est iudicis. Is vero, si id prudens ac opportunum censeat, potest invitare partes, videlicet accusatorem aut accusatum, ut praesentent peritos, quos putent idoneos.

*Numerus* peritorum, nisi in certo quodam casu ab ipso iure sit determinatus, a iudice iuxta prudens suum arbitrium est constituendus, habita ratione naturae et difficultatis causae.

3. Ad quaestionem quod attinet, quibusnam *qualitatibus* peritus, ut possit eligi, praeditus esse debeat, praeter qualitates *speciales*, quae in eo requiruntur, quoad inhabilitatem eius, suspicionem contra eum, etc., valent ea omnia, quae supra (pag. 62 sq.) dicta sunt de testibus. Si in certo quodam casu a publica auctoritate deputari possint periti *ex officio* constituti, non solum nihil obstat, sed id quandoque est consulendum.

4. Sicuti contra testes, sic etiam contra peritos tum accusator seu promotor iustitiae, tum accusatus possunt *excipere*; causae vero exceptionis sunt eadem ac in testibus. Est autem iudicis definitive decernere, utrum recusatio peritorum sit admitenda, necne; recusationem si admittat, deputandus est alius peritus.

5. Periti, antequam, mandato accepto, munere suo fungantur, coram iudice et adstante notario *iuramentum* de officio fideliter implendo praestare debent. Partes possunt, immo iussu iudicis debent assistere, cum periti munere suo fungantur, nisi aliter statutum sit, sive a natura rei, v. g. in inspectione medica, sive a lege, sive a iudice. Ille, qui officium periti suscipit, eo etiam fungi debet; sin autem absque iusta causa recuset peritiam perficere vel infra tempus determinatum non tradat relationem de confecta peritia, pro re nata tum theologice tum iuridice tenetur ad damna parti laesae resarcienda.

6. Quoad *ipsam peritiam* dicendum est, a iudice singulos articulos obiecti peritiae esse determinandos, habita ratione petitionum vel postulationum partium; tempus quoque, infra quod peritia sit conficienda et relatio de ipsa tradenda, ab eodem potest praefigi, si id opportunum vel necessarium censeat.

7. Quandoque iudex aliquod documentum ab una ex partibus productum examini *calligraphorum*, qui dicuntur, subicere debet ad eruendum, utrum, necne, documentum sit authenticum seu quis



sit eius auctor. Quodsi istud examen perficiatur per *collationem scripturarum*, num v. g. quaedam scripturae, veluti epistolae iniurias, calumnias, etc. continent, scriptae sint a certa quadam persona, a iudice determinandae sunt scripturae, quae cum illis documentis comparari debeant. Iudex autem ad hunc finem eligat scripturas, quas accusatus a se scriptas iam agnovit, vel quas auctor qua officialis ecclesiasticus confecit atque in archiviis vel in aedibus cuiusvis auctoritatis publicae asservavit, vel quae a notario vel aliquo alio publico officiali ecclesiastico fidem acceperunt, eas in ipsorum praesentia scriptas esse ab accusato. Si scripturae designatae ad collationem perficiendam secundum peritorum iudicium non sufficiant, atque persona, cui attribuitur scriptum controversum, adhuc in vivis sit, iudex, etiam ex officio, eam adducere potest ad scribendum coram se vel suo delegato propria manu ea, quae periti vel ipse iudex seu eius delegatus sint dictaturi. Si accusatus scribere renuat, authenticitas aut falsitas documenti controversi existimatur agnita.

In talibus autem collationibus scripturarum per calligraphos hodie semper magna adhibenda est cautio. « Magna cum circumspicione », ita Dröste (1), « iudex instructor probationem authenticitatis documentorum per testes et peritos dirigat necesse est. Imprimis certiore se reddere debet, num testis vel peritus illum, a quo certum quoddam documentum dicitur esse scriptum, cognoscat, utrum iam epistularum commercium fuerit inter ipsum et illum, an manum illius fortuito viderit, num istam igitur cognoscat et nunc etiam recognoscat. Deinde misceat documentum controversum aliis documentis diversorum auctorum atque obtegat subscriptiones, quo facto testem vel peritum, qui manum auctoris, de quo quaeritur, cognoscere praetendit, adducet, ut eam deligat. Iudex autem omnino praepostere ageret, si testi vel perito documentum controversum ostenderet, non adhibitis supradictis cautelis, eundemque interrogaret, nonne istudtribuendum sit auctori, de quo quaeritur ».

8. Periti votum suum possunt vel in *scriptis* redigere, vel *verbis* iudici notum facere; votum, quod viva voce notificatur, a

(1) Kirchl. Disciplinar und Kriminalverfahren (1882), p. 116.

notario statim in acta est referendum. Votum sit oportet *obiectivum, clarum et definitum*. Si in eo contineantur obscura et ambigua, iudex potest invitare peritos, ut dent necessarias elucidationes seu declarationes. Votum porro contineat necesse est saltem rationes principales, quibus iudex in sententia ferenda possit inniti. Periti conficere debent *singulas* relationes, nisi iudex indulerit *unicam* relationem a singulis subscribendam, quo tamen in casu indicandae sunt variae, si quae sint, opiniones illorum, qui dissentiunt. Si periti in rebus substantialibus sibi *contradicant*, iudex potest exquirere votum alicuius peritioris, qui de ipsis votis et conclusionibus confectis iudicet, vel etiam praescribere novam peritiam. Id tunc quoque fieri potest, si non obstante consensu peritorum postea exoriatur suspicio fundata contra eorum obiectivitatem aut dubium fundatum de voti valore vel eius vi probandi.

9. Quamvis sit regula generalis, vota consentientia duorum peritorum omni exceptione maiorum plenam facere fidem, tamen iudex non absolute tenetur, conformare suum iudicium eorum conclusionibus, licet concordantibus, sed sententiam ferre debet iuxta propriam suam persuasionem, consideratis omnibus circumstantiis, perpensaque externa et interna voti vi probandi. Verum inter sententiae motiva rationes exprimere debet, ob quas vota peritorum sit secutus aut sequi non potuerit.

10. Peritis non solum restituendae sunt *expensae* in peritia factae, sed eis assignandum est etiam ex iusto et aequo *salarium* quoddam, habita ratione operae impensae et locorum consuetudinibus. Accusatus vero *convictus* condemnatur etiam in istis expensis; in casu autem sententiae *absolutoriae* spectat ad arcam tribunalis, stipendia solvere; accusatus denique, qui in parte condemnatur, et in parte absolvitur, *pro rata culpa* in expensis condemnari debet.

#### ARTICULUS QUARTUS. — De instrumentis.

1. Simili modo ac depositiones testium *orales*, in processibus criminalibus adhibentur ut media probationis publica et privata *instrumenta*, de quibus ius Decretalium agit in proprio quodam

titulo (1). Sensus *lato* vox instrumenti comprehendit ea omnia, quibus facta probari possunt; sensu vero *stricto* instrumenta intelliguntur documenta seu scripturae, manu scriptae vel typis confectae, quae de factis referunt. Eiusmodi autem documentum potest continere declarationem aut *scientiae* aut *voluntatis*. Ut declaratio *scientiae* continet simplex quoddam factum probandum, dum ut declaratio *voluntatis* iudici suppeditat factum quoddam iuridicum, v. g. aliquem contractum. Documenta dividuntur etiam in *publica* et *privata*. Illa confecta sunt a persona publica qua tali et continent aliquam depositionem de rebus, quae ad munus istius personae pertinent, sive res relatae perceptae sint ab ipso conficiente, sive a suo antecessore.

2. Hisce *publicis* documentis ecclesiasticis adnumerantur:

a) Omnes actus, qui in functione muneris procedunt seu eduntur ab ipso Romano Pontefice, a Dicasteriis Romanis et ab Ordinariis tum cleri saecularis tum cleri regularis, sive documenta confecta sint ab ipsis, sive de eorum mandato ab ipsorum notariis.

b) Documenta confecta a notariis publicis.

c) Documenta iudicialia ecclesiastica, v. g. citationes, sententiae etc.

d) Registrationes in libris officialibus baptizatorum, confirmatorum, nuptorum, sepultorum seu mortuorum, et in aliis libris parochialibus et publicis, neenon excerpta ex hisce publicis libris, a parochis vel ab Ordinariis vel a notariis publicis confecta, atque copiae a notariis publicis declaratae fideliter transcriptae.

e) Publica documenta civilia, quae ex legibus locorum uti talia habentur.

At contra epistolae, contractus, testamenta aliaque scripturae a personis *privatis* qua talibus confectae, sunt documenta *privata*.

Recensita autem documenta tunc tantum in iudicio ecclesiastico ut media probationis admittuntur, si in cancellaria tribunalis deponantur, nisi agatur de documentis *publici iuris*, v. g. Legibus, Decretis et Constitutionibus Apostolicis rite promulgatis, et quidem producenda sunt in *originali* aut in exemplari *authentico*.

(1) X. II. 22.

3. Ut aliquod *publicum* documentum *ecclesiasticum* in iudicio fidem facere possit, requiritur imprimis, ut constet de eius authenticitate, ut sit confectum cum debitis solemnitatibus iuris et munitum necessariis subscriptionibus et sigillis. A parte vero adversa etiam tale documentum contrariis probationibus impugnari potest, quod fit v. g. probando, illud continere falsa, vel ipsum documentum esse corruptum. *Publica* documenta *civilia* semper pro authenticis habentur, si solemnitatibus a iure civili praescriptis sint confecta; sed haec quoque possunt impugnari, si de eorum authenticitate existant dubia fundata. Documenta *privata* ab una ex partibus producta tamdiu habentur pro veris et authenticis scripturis eorum, qui ea scripserunt vel subscripserunt, quamdiu pars adversa eorum authenticitatem non impugnet et eorum falsitatem probet. Praeter accusatum etiam promotor iustitiae habet ius impugnandi documenta, de quorum veritate et authenticitate rationabiliter dubitat.

Si documentum quoddam privatum ab uno ex litigatoribus alteri obiiciatur, nempe ab accusatore seu promotore iustitiae accusato, vel viceversa, atque ab hoc non agnoscitur ut scriptum vel subscriptum ab illo, cui tribuitur, iudex ad instantiam partis cuius interest decernere potest, ut authenticitate instrumenti per testes, vel per alia documenta, vel per peritiam calligraphorum (1) iudicialiter definiatur. *Quodvis* igitur documentum impugnari potest, donec de eius authenticitate per definitivam sententiam iudicialem constet (2). Documentum per sententiam tribunalis *saecularis* uti verum et genuinum recognitum, etiam a tribunali ecclesiastico, nisi obstant rationes graves, absque ulla ulteriore inquisitione, auditis accusato et promotore iustitiae, ut medium probationis potest admitti. Is qui authenticitatem alicuius documenti *temere* negaverit et impugnaverit, praeterquam quod in expensis, ex instituto examine ortis, condemnandus sit et de damnis alteri parti illatis teneatur, arbitrariis poenis ecclesiasticis a iudice potest puniri.

(1) De calligraphis cfr. pag. 75 sq.

(2) *Santi-Leitner*, Prael. iur. can., ed. IV. t. II. p. 180 sq.

4. Ad *vim probandi* documentorum quod attinet, *publicum* documentum *ecclesiasticum*, quod de facto probando directe et ex professo tractat, plenam fidem in iudicio facit, in quantum persona publica illud factum ex propria scientia testatur (1). Documenta *privata*, quorum authenticia ab altera parte fuerit concessa aut a tribunali recognita, ad instar confessionis extraiudicialis et cum iisdem consequentiis, media probationis sunt tum contra eum, qui illa scripsit aut subscripsit, tum contra eos, quorum causa in illis tractatur. Publica documenta *civilia* ad instantiam partis in processu criminali ecclesiastico possunt quidem adhiberi, sed probare valent solum facta et relationes iuridicas iuxta legem civilem, in quantum istae expresse et principaliter in eis continentur. Proinde non habent ullam vim probandi in detrimentum iurium ecclesiasticorum aut in favorem obligationum conscientiae, quae stare possunt independenter a relationibus civilibus in documentis publicis contentis.

Documenta eodem modo ac *testes suspecti* tractantur, si quid fuerit in eis, et quidem in partibus substantialibus, erasum vel deletum, vel correctum, vel si textui quid additum fuerit, vel si instrumenta alios defectus externos habeant, atque *iudicis* est iudicare, quanti sint aestimanda.

5. *Productio* documentorum hisce dirigitur normis: Documenta imprimis a partibus iudici exhibenda sunt in *termino probatorio* (2); finitis autem probationibus seu post conclusionem in causa tunc tantum documentum aliquod produci potest, si pars producens probet, et quidem, si iudex id opportunum censeat, sub iuramento (3), se tunc primum illud reperisse. Cum iudex documentum quoddam produci posse permiserit, processus suspenditur et adversario conceditur certus quidam terminus, ut documentum authenticum possit examinare et ex eo consequentias tum quoad factum, tum quoad ius colligere; secus totus processus esset invalidus.

(1) Cfr. c. 2. X. 22; c. 33. C. XII. qu. 2. Indifferens est, utrum producat textus autographus, an copia, quae a publico notario fideliter transcripta declarata est. Cfr. c. ult. X. II. 22; c. 4. X. II. 30.

(2) C. 3. X. II. 22.

(3) C. 4. X. II. 25.

Quodsi pars, cuius interest, non nisi magnis cum difficultatibus et periculis obtinere possit documentum quoddam *originale*, in aliquo archivio vel in alio alieno loco depositum, iudex potest delegare aliquam personam aut subsidium iuris implorare ab Ordinario loci, ad obtinendam aliquam transcriptionem seu *copiam* illius documenti. Porro *totum* documentum, neque aliqua pars tantum, produci seu in cancellaria deponi debet, ut ibi a iudice et a parte adversa possit inspicere et examinari. Quodsi vero parti litiganti ex quacumque ratione tantum certa quadam *parte* documentum opus sit, iudex ad illius instantiam potest decernere, ut ea *pars* tantum, quae ad causam pertinet, authentice transcripta deponatur, unacum exordio et fine documentum originalis, necnon cum subscriptione vel subscriptionibus textus autographi.

Si quis nil aliud nisi *copiam* alicuius documentum exhibuerit, de cuius transcriptione fidei dubitatur, iudex ad instantiam partis adversae vel etiam ex officio potest praecipere, ut producat documentum *originale* vel saltem copia *authentica*. Quando autem id vel nullimode, vel saltem non nisi valde difficile fieri potest, remittitur prudenti arbitrio iudicis determinare, num et quanta fides copiae productae sit tribuenda.

6. Ad quaestionem, an quis ad tradenda documenta *cogi* possit, quod attinet, utraque pars ius habet exigendi, ut a parte adversa exhibeantur documenta utrique parti *communica* (1), sive confecta sint communibus sumtibus, sive respiciant negotium quoddam commune, v. g. testamenta, contractus etc. Potest autem etiam exigi, ut edantur documenta *non communia*, quae sunt in possessione unius partis vel tertiae personae, si altera pars aliquam copiam vel saltem summam ipsius documentum produxerit aut aliquo modo demonstraverit, illud documentum respicere causam praesentem et esse in possessione partis adversae vel tertiae cuiusdam personae. Verum nemo tenetur edere aliquod documentum, licet commune, quod sine periculo *propriae diffamationis* vel *violationis secreti* manifestari nequeat (2). Quodsi autem saltem illa *pars*, quae causam spectat, ex documento transcribi et trans-

(1) Glossa in c. 1. X. II. 19.

(2) C. 1. X. II. 19.

scripta produci possit, quin supradicta pericula sint timenda, saltem haec pars de mandato iudicis edi debet. Si una pars, in cuius possessione dicitur esse documentum quoddam ex praescripto iuris exhibendum, eius productionem recuset, iudex ad instantiam alterius partis per sententiam interlocutoriam de illius editione et productione potest decernere. Pars autem, quae iudicis decreto obedire recusat, per media apta, etiam per poenas ecclesiasticas, a iudice cogi potest, ut edat documentum. Si quae denique pars neget, se possidere certum quoddam documentum, iudex eam potest subiicere examini eique de possessione deferre iuramentum.

7. Partes, idest tum accusator seu promotor iustitiae, tum accusatus, ius habent *inspiciendi* documenta non secreta archiviorum parochialium aliorumque tabulariorum ecclesiasticorum, quotiescumque haec documenta respiciant litem pendentem. Praeterea partes ius habent exigendi, ut sibi, sumtibus solutis, a magistratibus ad id competentibus tradatur *copia* illorum documentorum vel saltem *summarium* quoddam ex iisdem excerptum. In dubio autem, an inspectio documentorum archivii parochialis vel alius tabularii ecclesiastici et confectio copiarum liceat, parochus, seu is qui archivio praeest, adeat iudicem vel Ordinarium loci; mandato deinde ab uno alterove accepto debet parere. Ceterum maxima cum liberalitate permittatur, documenta archiviorum parochialium aliorumque tabulariorum ecclesiasticorum inspicere, dummodo absit periculum, ne iura ecclesiastica detrimenti quid capiant; id enim confert ad ius et iustitiae administrationem adiuvanda et tuenda.

8. Parochus et quivis alius officialis ecclesiasticus, qui vi muneris sui publici documenta conscribere debet, haec conficiat oportet *integre* seu absque acceptione personarum, *optima fide, vere* et *copiose*. Documenta neque quid *falsum* contineant, neque *silentio* premant ullam circumstantiam essentialem ad rem pertinentem. *Personae*, quarum mentio fit in documentis, ad praecavendos errores et confusiones, denotandae sunt nomine, cognomine, conditione aliisque notis. *Numeri* ad praecavendas corruptiones scribi debent non solum notis numerorum seu ziffis, uti aiunt, sed etiam integris vocabulis. *Fides* tribuitur documento eo, quod adiciatur locus, dies, subscriptio et sigillum magistratus. Documenta nisi hoc modo confecta sint, in iudicio nullius sunt valoris.

## ARTICULUS QUINTUS. — De indicis.

1. Indicia intelliguntur illa *facti adiuncta*, quae cum *facto probando* adeo arcte sint connexa, ut omnis homo prudens, experientia edoctus, ex eis possit debeatve concludere de existentia aut non existentia ipsius facti (1). Nexus igitur inter indicium et factum non est internus neque immediatus, ex quo necessario seu certitudine *physica* existentia aut non existentia facti sequatur, sed est talis, ut ex concursu diversorum facti adiunctorum *prudenter* de ipso facto probando coniectura fieri possit, ita ut acquiratur persuasio seu certitudo tantum *moralis*. Quare *unum* indicium nunquam constituit plenam probationem, sed dumtaxat *coniecturam* plus minusve fundatam. Vis probandi enim indiciorum habetur in uniformi et constanti connexione seu *concursu diversorum adiunctorum*, ex quibus de facto probando semper *idem* concludi debeat. Ex connexione igitur adiunctorum cum facto probando de hoc ipso fit coniectura, nam secundum communiter contingentia eiusmodi concursus diversorum adiunctorum facti, quae sese invicem compleant, relate ad factum nequit esse merus casus fortuitus.

2. Hinc ad probandum factum quoddam per indicia requiritur *primo*, ut habeantur *complura* indicia, *secundo*, ut facta quibus innituntur sint omnino *certa, tertio*, ut constans *connexus* indiciorum cum facto probando demonstratur. Per se patet, indicia quoque *contraria*, si quae sint, a iudice sedulo esse perpendenda, cum haec quandoque probationem ex aliis indicis valeant infirmare. *Quot* indicia autem ad fidem iudici faciendam requirantur, determinare, remittitur prudenti ipsius arbitrio.

3. In *rebus criminalibus* a probationibus per indicia abstrahi nequit, cum omnia fere crimina committantur in occulto ideoque saepius per directa media probationis demonstrari nequeant. Hinc docet quoque art. XVI cit. Instr. S. C. Epp. et Reg.: *Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat, aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio*. Iudex autem in adhibendo hoc medio

(1) Cfr. X. II. 23 de praesumt.; cfr. pag. 55 seq.

probationis magna cum cautione procedat, ac tum demum eo innitatur, cum ex diversis iudiciis *moralem certitudinem* de existentia facti controversi acquisiverit (1). Hinc cl. Lega (2) iudici ad iudicandam probationem per indicia has praebet regulas: « a) Unum indicium non esse probandum alio iudicio, seu coniectura, sed certum esse debere in ratione facti seu in substantia probationis; b) Indiciorum vis probativa non augetur aut minuitur ratione numeri, sed ratione intimae cohaesionis, non secus ac quinque partes unius solidi, si coeant, unitatem faciunt; c) Non satis patet vis probativa indiciorum, nisi facta sit accusato facultas se excusandi; d) Plurimum fidendum non est iudiciis, quae multiplicem et forsitan contrariam exhibent interpretationem ».

#### ARTICULUS SEXTUS. — De iuramento purgatorio.

1. Iuramentum a partibus praestandum, dum in processu civili est medium probationis magni momenti (3), in processu criminali ob periculum periurii est prohibitum seu in praxi hodie nunquam imponitur, excepto solo *iuramento purgatorio*. Iuramentum vero purgatorium tantum illi accusato potest deferri, qui sit suspectus de *haeresi* neque aliter innocentiam suam probare valeat; in tali igitur casu suspectus iurare debet, se credere ea omnia, quae Deus revelaverit et per sanctam suam Ecclesiam ad credendum nobis proponat. Ille vero, qui iuramentum praestare recuset, aestimabitur et tractabitur uti suspectus de haeresi. Etiam si in citato Decreto S. C. Epp. et Reg. iuramenti purgatorii non amplius fit mentio, tamen id non impedit, quominus eiusmodi iuramentum adhuc imponi *possit*.

2. Cum is, qui delictum *sollicitationis ad turpia in confessione* commiserit, a iure consideretur uti suspectus de haeresi, accusato quoque de hoc crimine iuramentum purgatorium deferri potest, praesertim cum Instructio S. Officii anni 1867 expresse praescribat: *Reus iuramento dicendae veritatis adstrictus respondere debet*.

(1) C. 9. C. 6. qu. 1; c. 44. X. V. 39.

(2) De iudiciis eccl., lib. II. n. 219.

(3) Cfr. Heiner, Der kirchliche Zivilprocess, p. 107 sq.

3. Attamen nihil obstat, quominus iuramentum purgatorium ut *extraordinarium* medium probationis hodie quoque alicui clerico imponatur, qui ob defectum probationum de crimine ipso imputato fuerit quidem absolutus, sed tamen secundum aestimationem populi ab eo non sit purgatus, ita ut sacrum ministerium non amplius in utilitatem fidelium exercere possit. Nam nemo est qui non intelligat, multum valere ad restituendam famam, si clericus ab Episcopo iubeatur solemniter iurare, se revera immunem esse ab illo crimine, praesertim cum concurrant adminicula depositionum testium fide dignorum. Illi vero sacerdoti suspecto de aliquo crimine, cui non obstante iuramento praestito, fides non tribueretur, aut cui alia subsidia suppeditent, v. g. editio alicuius libelli vel declaratio in ephemeridibus, iuramentum purgatorium nequit imponi. Patet autem per se, sacerdotem, qui iurare iubetur, dignum esse debere cui credatur, ita ut omne periculum periurii sit remotum. Ceterum est *Episcopi* decidere, utrum eiusmodi iuramentum sit necessarium vel utile, necne.

Verum, ut illud iterum dicamus, notandum est, iuramentum purgatorium ut *ordinarium* medium probationis esse *illicitum* proindeque qua tale a iudice non posse admitti. At contra, istud iuramentum ut *extraordinarium* medium sese purgandi ab imputatione alicuius criminis nullibi prohibetur, ideoque in certis adiunctis licite potest adhiberi.

## SECTIO SECUNDA.

### De processu criminali ecclesiastico in specie.

#### TITULUS PRIMUS.

##### De procedura extrajudiciali.

Ecclesia per proceduram criminalem in clericos intendit non solum crimen vindicare seu iustitiae satisfacere, sed etiam *emendare delinquentes*. Iamvero quando is scopus via *extrajudiciali* obtineri potest, neque vindicta publica est necessaria, procedura

criminalis *ultimum* debet esse medium, postquam scilicet alia media delinquentem emendandi incassum adhibita fuerint. Hinc etiam Instructio S. Congr. Epp. et Reg. diei 11 Iunii 1880 praeter expositionem verae proceduræ iudicialis continet proceduram quandam *extrajudicialem*, quæ in applicandis certis remediis emendatoriis consistit: *Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi, super eorundem vitæ rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad præcavendas in eisdem et eliminandas ordinis perturbationes* (art. I).

Ceterum hæc ratio procedendi est iuxta præceptum Christi Domini apud Matth. XVIII, 15-17: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiae.* Hoc loco igitur Christus Dominus loquitur primo de reprehensione quadam secreta, ergo de aliqua procedura secreta et extrajudiciali, deinde de reprehensione quadam coram testibus, ergo de aliqua procedura magis publica, denique innuit veram proceduram criminalem ecclesiasticam per verba: *dic Ecclesiae.*

Ecclesia proinde contra delinquentes procedit aliquando *extrajudicialiter*, aliquando *iudicialiter*. Ad proceduram extrajudicialem pertinent *monitio paterna et sententia ex informata conscientia.*

#### CAPUT PRIMUM. — De monitione canonica in forma paterna.

1. Remedium monitionis canonicae in forma paterna, uti per se patet, nequit applicari, si patrata sint *proprie dicta crimina gravia et externa*, quibus ab ipso iure canonico determinatae poenae constitutae sunt. Agitur potius de *levioribus delictis* in ordine ad munus vel vitam sacerdotalem commissis, iisque aptis ad relaxandam disciplinam ecclesiasticam, scandalumve populo inferendum, vel ad proprie dicta crimina promovenda. Etenim sacerdos omni ex parte honestus bonusque sit oportet; nam condicio vitæ eius præcelsa ac præcepta Ecclesiae exigunt, ut re et veritate

populo christiano sit exemplar et specimen morum, sermonum et officiorum exequendorum, neminemque scandalo offendant (1).

Quare Episcopi clericis saecularibus et religiosis extra claustra degentibus invigilent (2), eosque, si deliquerint in normis canonicis morum sacerdotalium — quæ quidem plerumque determinatis legum formulis minime comprehenduntur, sed potius principio generali: « Sacerdos debet esse bonus ac fidelis Ecclesiae minister et officialis » — pro gravitate culpæ remediis praeventivis et regressivis vel emendatoriis coerceant, ut officii immemores ab ulterioribus delictis arceant et ad officia condicionis clericalis muneris revertent. Quæ remedia Episcopus adhibeat, cum primum de moribus vita sacerdotali alienis et de transgressionibus legis vel violationibus officii certior factus est.

2. Episcopus autem diversis modis certior fieri potest de delictis et negligentis clericorum, scilicet vel per *suam propriam cognitionem*, v. g. occasione visitationis canonicae, vel per *denuntiationem*, sive vicarii foranei aliorumve superiorum, sive hominum privatorum, vel per *querelas* parochianorum.

3. Cum tamen facile notitiæ falsæ vel calumniosæ ad Episcopum pervenire possint, necessarium est, ut Episcopus, antequam in denunciatos procedat, se *informet* seu de re ipsa inquisitionem instituat. Iam Melchisedes Papa (3) Episcopos adhortabatur: « Primo semper diligenter inquirete, ut cum iustitia et veritate definiatis, neminem condemnetis ante verum et iustum iudicium; nullum suspicionis arbitrio iudicetis; sed primum probate, et postea caritativam proferte sententiam ». Ideo etiam citata Instructio art. V praescribit: *Has provisiones præcedere debet summaria facti cognitio, de qua Ordinarius aliquod documentum conficiat oportet, ut ad ulteriora, si opus sit, procedere et certiore reddere queat superiorem auctoritatem in casu legitimi recursus.*

Documenta autem, quæ de inquisitione conficiuntur, in archivium *secretum* concludi debent (4). Praefata enim remedia,

(1) Conc. Trid. Sess. XIV proem., Sess. XXII. c. 1 de ref.; c. 3. D. 23 etc.

(2) Conc. Trid. Sess. XXII. c. 3 de ref.

(3) C. 13. C. 2. qu. 1.

(4) Sixti V. Motu proprio 29 Apr. 1587; Bened. XIII. Const. « *Maxima vigilantia* » 1727.



etsi a citata Instructione vocentur remedia *praeservativa*, de facto nil aliud sunt nisi remedia *poenalia*, ideoque ille, cui applicata sunt, diffamaretur, si in aliorum cognitionem venirent. Neque licet summariam facti cognitionem habere loco inquisitionis *iudicialis* aut publicae, quia monitio paterna est procedura *extra-iudicialis* et inquisitio nullum alium finem habet nisi ipsum Episcopum de facti veritate certiore reddere. Potest quidem aliqua tertia persona, v. g. vicarius foraneus vel aliquis pius et prudens sacerdos vicinus, ab Episcopo deputari, ut in rem inquirat et probationes collectas perscribat, sed etiam eiusmodi informationes semper secretae manere debent. Patet autem per se, nulla ulteriore inquisitione opus esse, si illa delicta sunt *notoria*, vel si saltem Episcopus de iis iam certior factus est.

4. Episcopus tali modo extrajudicialiter informatus iam potest decernere, utrum procedura *extrajudicialis* sufficiat, an causae graves ipsum ad instituendam proceduram *iudicalem* compellant. Si in inquisitione nihil prorsus grave detectum fuerit, per se patet, ulterius non esse procedendum. Sin aliter, imprimis inquisitus ipse de delicto ei imputato audiri debet; isti enim semper copia defensionis, sive oralis, sive scriptae, detur necesse est, quamobrem singula accusationis vel querelae capita, viva voce vel scripto ei notificari debent.

5. Quodsi Episcopus cognoverit, in casu nulla quidem procedura iudiciali opus esse, sed tamen interventione quadam auctoritatis ecclesiasticae, definiat in specie, quodnam remedium sit adhibendum. Remedium autem ne habeat indolem poenae in sensu canonico sed potius admonitionis, instructionis, correctionis vel comminationis, quo delinquens perducatur ad cognitionem status suae animae necnon ad emendationem vitae, atque ita praeservetur a delictis gravioribus committendis. De hoc scopo remedium citatae Instructionis art. II haec ait: *Ex his remediis alia praeventiunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc ordinantur, ut impediunt, quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur. Altera finem habent revocandi delinquentes, ut sapienter reparentque admissi criminis consequentias.*

6. Ut remedia praeventiva art. IV in specie tria numerantur: *Mediis quae praeservant praecipue accensentur spiritualia*

*exercitia, monitiones et praecepta.* Quae tamen enumeratio non intendit *omnia* remedia colligere, sed tantum exempli causa *aliqua* afferre, id quod manifeste demonstrat verbum *praecipue*. Instructio igitur Episcoporum potestatem nequaquam voluit restringere; nam nihil aliud intendit nisi normam quandam *directivam* subministrare, ut remedia recte adhibeantur. Quare nihil obstat, quominus Episcopus *alia* remedia applicet. Potest v. g. verbis severis reprehendere aliquem sacerdotem ob suorum morum levitatem, adiciendo, se ei non amplius posse conferre officium quoddam ecclesiasticum, quod alias libenter ei dedisse fateatur. Licet eiusmodi reprehensio neque sit vera monitio canonica in sensu iudiciali, neque praeceptum iudiciale, tamen est remedium praeservativum, proinde non est adhibenda, nisi accurata rei cognitio praecesserit. Episcopus potest quoque sacerdoti negligenti denegare veniam egrediendi e loco sui domicilii, quae venia communiter omnibus sacerdotibus dari solet, vel ei denegare litteras commendatitias seu celebret, uti aiunt, pro itineribus, ut scilicet reprimat eius arrogantiam et superbiam, vel eius voluptatum cupiditatem, vel eius otiositatem, ob quos defectus apud clerum et populum male audit. Haec et similia remedia quandoque sunt efficaciora illis, quae in Instructione enumerantur, quamvis ista ordinarie omnium sint efficacissima.

Instructio autem enumerat: *spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.* Quare Episcopus sacerdoti negligenti imprimis imponat *spiritualia exercitia*, ut eius animus e somno excitetur, ad nova proposita facienda inducatur, ad munus sacerdotale explendum incitetur et ad suscepta bona consilia servanda confirmetur. Experientia sane docuit, exercitia spiritualia aptum esse medium ad revocandos clericos, qui nondum penitus a fide recesserunt, ad meliorem et saniorum vitae rationem, ita ut munere suo denuo diligenter fungantur. Secundo loco Instructio nominat *monitiones*. Monitiones et adhortationes, paterno cum affectu ab Episcopo datae, sacerdoti erranti, negligenti, et vias malas vel periculosas persequenti, non raro aperient oculos atque saepe solae sufficient, ut eum perducant ad emendandam suam vitam et ad munus suum sacerdotale sedulo explendum. Tertio denique loco commemorantur *praecepta*, idest Episcopus sacerdoti erranti, sub comminatione congruae poenae in casu transgressionis, *determinate*

*praescribere* debet, quid ei in posterum faciendum vel omittendum sit, atque in quibus rebus sese corrigere, quaeque peccata vitare debeat. Potest v. g. ei interdicare, ne frequentet tabernas, neve consuetudinem aut amicitiam habeat cum certa quadam persona, potest ei praecipere, ut impleat et exequatur certas quasdam obligationes etc.

7. Ex ordine, quo diversa remedia in Instructione *enumerantur*, cognosci nequit, quinam ordo in *adhibendis* istis remediis sit servandus. Ordinarie tamen ordo ab Instructione constitutus servari potest, cum exercitia spiritualia ut plurimum sint remedium levius monitione canonica, et praeceptum, quo Episcopus sacerdoti poenas plus minusve graves minatur, semper sit remedium sat grave, per quod delinquens cognoscit, in quanto periculo versetur. In quolibet casu Episcopus *eligat* unum alterumve remedium, prout necessitas rerumve adiuncta vel condicio delinquentis suadent.

8. De modo, quo monitiones canonicae faciendae sunt, ait art. VI Instructionis: *Canonicae monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta, etiam per epistolam aut per interpositam personam, sive in forma legali, ita tamen, ut de earundem executione constet ex aliquo actu.*

Episcopus hac in re procedit quidem ut *dominus*, qui clericis sibi subditis accurate et determinate praecipit, quae eis in ipsorum vita privata et in rebus sui muneris faciendae ac vitandae sint, eosque de officiis suis edocet, sed simul se gerit pro *patre*, qui nil aliud desiderat nisi salutem clericorum commonitorum, quamobrem omnia evitabit, quae eos laedere possint. Recolat Concilii Tridentini (1) illa praeclara huc spectantia: « Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis (Episcopis) servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia; cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas; plus exhortatio, quam comminatio; plus caritas, quam potestas ». Optima correctio est semper illa, quae fit per secretam monitionem delinquentis, iuxta verbi Christi Domini: *Si autem peccaverit in*

(1) Sess. XIII. c. 1 de ref.

*te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum.* Quae tamen correctio, uti docet citatus art. VI Instructionis, fieri potest etiam per epistolam aut per interpositam personam, si nempe Episcopus id necessarium vel opportunum censeat. Episcopus proinde potest uti etiam opera Vicarii Generalis vel Officialis, at et in isto caso monitio faciendae est quam secretissime (1), cauto ne monitio sapiat castigationem iudicalem. Nihilominus monitio semper ita fieri debet, ut eius executio possit *probari*, sicuti etiam « summaria facti cognitio » seu exitus inquisitionis, litteris est consignandus, ut scilicet Episcopus auctoritati superiori de motivis suae procedurae rationem reddere valeat, si forte a monito recursus ad eam interponatur. Idem exprimit Instructio per verba: *ut de earundem executione constet ex aliquo actu.* Sufficit autem, ut Episcopus acta et probata *privatim* conscribat; immo, uti iam innuimus, non licet ea registris cancellariae episcopalis inserere (2). Talis enim insertio non solum esset contra illud praescriptum S. Congregationis, quo iubetur monitionem in forma paterna et *secreta* faciendam esse, sed quandoque etiam contra *caritatem*, cum fama illius clerici hactenus illaesa per hanc registrationem in actis publicis in perpetuum posset laedi vel omnino destrui.

## CAPUT SECUNDUM. — De sententia ex informata conscientia.

### A. — Praenotiones.

1. Procedura criminalis ecclesiastica hodie, praesertim post Instructionem S. Congregationis Episcoporum et Regularium pro Curiis ecclesiasticis, edita die 11 Junii 1880, adeo expedita est, ut ordinarie non amplius sit multum difficile, iudicialiter procedere contra delinquentes. Nihilominus fieri potest, ut etiam hodie a vera procedura iudiciali abstinere et illa procedura adhiberi debeat, quae *sententia ex informata conscientia* vocari solet. In ipsa enim Instructione, quam supra commemoravimus, expresse dicitur, hunc modum puniendi adhuc esse in vigore: *Plenam quoque vim servat*

(1) S. C. Epp. et Reg. 28 Aug. 1750.

(2) S. C. Epp. et Reg. 7 Sept. 1801.

*suam extrajudiciale remedium ex informata conscientia pro criminibus occultis quod decrevit S. Trid. Synodus in Sess. XIV, cap. 1 de ref., adhibendum, cum illis regulis et reservationibus, quas constanter servavit pro dicti capituli interpretatione S. C. Concilii in pluribus resolutionibus et praecipue in Bosnien. et Sirmien. 20 Dec. 1873 (art. IX).*

2. Iam Lucius III (1) *praelatis regularibus* potestatem concesserat interdicens religiosi sibi subditis, quos crimen occultum commisisse ipsis persuasum erat, ascensum ad altiores ordines, quin verum processum canonicum instituere debuissent. Ut ratio, ob quam praelati regulares tali potestate instruebantur, afferretur ea: « Quod honestius et tutius est subiectis, debitam praepositis obedientiam impendendo, in inferiore ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum appetere dignitatem ». Concilium autem Tridentinum (2) hanc potestatem praelatorum regularium *amplavit* eamque extendit etiam ad *Episcopos* quoad clericos saeculares sibi subditos: « Ei qui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates, sive honores, restitutio suffragetur ». Is proinde canon Concilii Tridentini abrogavit dispositionem iuris Decretalium, ab Alexandro III (3) latam et a Gregorio IX (4) confirmatam, secundum quam nemo ob crimen occultum a suscipiendis ordinibus aut a susceptis exercendis prohiberi poterat. Procedura autem nova a Concilio Tridentino instituta, postea demum, in primis praesertim a Benedicto XIV et Pio VI, appellata est *sententia ex informata conscientia*. Istud vero nomen ideo idoneum est ad hanc proceduram significandam, quia sententia condemnatoria in casu fertur non ex praevia proprie dicta inquisitione iudiciali, sed ex rationibus et motivis, quae a *conscientia*

(1) C. 5. X. I. 11.

(2) Sess. XIV. c. 1 de ref.

(3) C. 4. X. V. 1.

(4) C. 17. X. I. 11.

Episcopi cognita et perpensa fuerunt. Haec procedura vocatur etiam *suspensio* ex informata conscientia, in quantum scilicet sententia exercitium ordinis suscepti prohibet. Synodus Pistoriensis proclamavit quidem duas propositiones contrarias, ut Episcopis illam potestatem auferret, sed hae propositiones postea a Pio VI damnatae sunt (1).

3. Hanc proceduram magnae esse utilitatis, per se patet; nam hoc saepe est unicum medium arcendi indignos a suscipiendis ordinibus vel a susceptis exercendis. At eiusmodi procedura extrajudicialis etiam arbitrio et iniustitiae materiam dare potest, ideoque eius usus accurate erat determinandus. Verba quidem dispositionum Concilii Tridentini minus clara sunt et opinionum falsarum occasio erant, sed S. Congr. Concilii res controversas tam saepe definivit, ut hodie non amplius dubitari possit, in quibusnam casibus et qua ratione procedura sententiae ex informata conscientia sit adhibenda.

4. *Subiectum activum* huius potestatis ex Concilio Tridentino sunt *Praelati*. Quo nomine intelligi imprimis Episcopos, nullum est dubium, at eo comprehenduntur etiam Praelati nullius et Vicarii Apostolici. Praelati autem regulares potestatem, quam habebant ante Concilium Tridentinum, non solum non amiserunt, sed etiam illam partem huius procedurae acceperunt, quae huic remedio addita est, videlicet potestatem suspendendi ab ordine et officio. Ad Vicarios *Capitulares* quod attinet, auctores in diversas abeunt sententias; at nescimus quo iure in dubio ponatur, utrum Vicarius Capitularis quoad hanc potestatem succedat in locum Episcopi, annon. Vicarius econtra *Generalis* vi mandati generalis, seu sine mandato speciali, hanc potestatem non habet; ex altera autem parte praestat, Episcopum ipsum sententias ex informata conscientia ferre.

*Subiectum passivum* huius remedii extraordinarii sunt laici, in quantum ab omni s. ordinatione, et clerici, in quantum ab ascensu ad altiores ordines arceri possunt. Clerici insuper, quacumque in dignitate positi sint et quodcumque beneficium possideant, ab ordinibus susceptis vel ab officiis ecclesiasticis suspendi possunt.

(1) Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794. n. 49. 50.

5. Haec tamen procedura extraordinaria puniendi criminosos valide ob solum *crimen occultum* adhiberi potest. Primo igitur requiritur, ut agatur de proprie dicto *crimine*. Sententiae enim ob leviora delicta ab Episcopis latae a S. Congregatione semper nullae declaratae sunt. Qua in re tamen ea differentia est notanda, quod ad prohibitionem a suscipiendis ordinibus non requiratur tam grave delictum, quam ad suspensionem ab ordinibus susceptis. Altera autem condicio est, ut crimen sit *occultum*. Id autem sequitur non solum ex uniformibus decisionibus Sacrarum Congregationum, sed etiam ex citato textu « pro criminibus occultis » Instructionis anni 1880. Iamvero illud crimen censetur occultum, ob quod delinquens in foro externo iudiciali condemnari nequit, quia scilicet eius probatio physice aut moraliter est impossibilis (1). *Physice* impossibilis est probatio, si formalis processus iudicialis, ob obstacula ex parte societatis civilis vel ex parte parochianorum vel ob testium recusationem deponendi, institui nequeat; *moraliter* impossibilis est, si timendum sit, ne ex processu oriantur publica scandala, diffamationes aliorum etc. Quare hoc loco crimen occultum non intelligitur crimen *natura sua* occultum aut *omnino* ignotum, sed unica differentia inter crimen publicum et crimen occultum in eo consistit, quod iudicialis probatio criminis occulti physice aut moraliter sit impossibilis, dum crimen publicum in formali processu probari potest. Proinde procedura sententiae ex informata conscientia non solum excluditur in criminibus notoriis et publicis, sed etiam in illis criminibus occultis, quae in processu instructivo physice et moraliter probari possunt, quoniam in hisce casibus formalis procedura *iudicialis* institui debet. Is vero, qui tum crimen publicum, tum crimen occultum pataverit, ob crimen publicum iudicialiter, et ob crimen occultum ex informata conscientia condemnari potest.

Quaerenti, an liceat crimen haberi *occultum* in sensu supra exposito, postquam procedura iudicialis contra delinquentem iam inchoata sit, ita ut Episcopus ab hac procedura desistere et sententiam ex informata conscientia ferre possit, respondendum est, crimen, durante processu, et eo magis sententia condemnatoria

(1) *Santi-Leitner*, Prael. iur. can., ed. IV. t. V. p. 11.

lata, haberi *publicum*. Si vero crimen iudicialiter non potuerit probari, vel si accusatus fuerit absolutus, processu terminato Episcopus etiam tunc procedere potest ex informata conscientia.

B. — *De ipsa procedura.*

1. Ex eo, quod procedura ex informata conscientia est extrajudicialis, illico sequitur, in ea *non* requiri *formalitates processus canonici*. Id autem adeo verum est, ut delinquens ne citari quidem debeat, neque defensor ei constituatur necesse sit. Episcopus ipse solus ex informata conscientia procedere potest, quin testes iudicialiter examinare debeat, immo quin obligatus sit, condemnato manifestare causas poenae inflictas. Neque tenetur delinquenti praevias dare monitiones, tamen quandoque consultum erit, ut id faciat, praesertim si reus hoc solo modo corrigi possit.

2. Episcopus autem sententiam condemnatoriam ex informata conscientia ferre nequit, nisi *certam* delicti commissi notitiam habeat, quae ipsum de culpabilitate delinquentis *convincat* et quemcumque alium prudentem virum, opinione praeiudicata non ductum, convincere posset, si de argumentis Episcopo notis certior redderetur. Mera igitur « persuasio subiectiva », quae dicitur, nequaquam ad sententiam ferendam sufficit. Si haec Episcopi persuasio non nitatur certis et obiectivis argumentis, Episcopus eo certam fidem sibi comparare debet, quod in secreto inquisitionem instituat, testes, si opus sit, examinet, etc. De delicto igitur semper *certo* constare debet, licet *iudicialiter* nequeat probari. Episcopus proinde argumenta colligat et servet oportet, ut ea afferre valeat, si recursus instituat.

3. Ut consulatur delinquentis famae, sententia *quam secretissime* ferenda et executioni mandanda est, et quidem, si ullo modo fieri possit, ab ipso Episcopo. Porro sententia *in scriptis* est ferenda, et poenam latam eiusque durationem accurate exprimat necesse est. Item in ea exprimi debet, Episcopum ex potestate a Concilio Tridentino sibi data vel ex causis sibi notis poenam infligere.

4. *Poenae*, quae ex hac sententia irrogari possunt, sunt *prohibitio* a susceptione ordinum et *suspensio* vel ab ordinibus susceptis, vel ab officio seu iurisdictione ecclesiastica. A susceptione ordinum quis *in perpetuum* arceri potest, modo causa, ob quam

arceatur, sit perpetua. Suspendio vero ab ordine vel ab officio ecclesiastico, sive partialis sit, sive totalis, nunquam in perpetuum infligi potest; nam eiusmodi suspendio aequipollet depositioni, quae poena nonnisi post inquisitionem vere iudicalem irrogari potest. Si totum factum criminis iam positum sit, suspendio ordinarie *ad determinatum tempus* infligatur; si vero delinquens in statu suo criminoso adhuc perseveret, irroganda est poena *ad indeterminatum tempus*, donec scilicet delinquens sese emenderit. Suspendio ad indeterminatum tempus lata secundum ius commune morte Episcopi aut expiratione eius iurisdictionis non cessat, nisi sub certa quadam formula, veluti: « ad beneplacitum nostrum », lata fuerit.

Alias autem poenas, v. g. suspensionem a beneficio, excommunicationem, interdictum, translationem etc., Episcopus hac extraordinaria via nequit infligere; hinc prohibetur etiam ex informata conscientia repellere aliquem ab officio acquirendo, v. g. per recusationem praesentationis.

Effectus mediatas suspensionis vi huius potestatis inflictæ est *irregularitas*, quam suspensus eo ipso incurrit, si scienter et voluntarie et absque urgente necessitate ordinem suum exercet (1). Quam poenam clericus ordinem suum illegitime exercens incurrit pro foro externo, etiamsi suspensionem suam niti falsis suppositis sciat et proinde contra eam recursum interposuerit. At ordinem exercens non incurreret irregularitatem, si ob crimen publicum, de facto non commissum, ab Episcopo suspensus esset.

5. *Appellationem* proprie dictam condemnatus ex informata conscientia interponere nequit, nisi agatur de negotio aliquo incidente, si v. g. se gravatum sentit eo, quod Episcopus eum coegerit, substituto sibi assignato solvere mercedem nimis magnam. At etiam in tali casu appellatio non alium habet effectum nisi *devolutivum*. Semper tamen condemnato patet *recursus* ad S. Congregationem Concilii. Qui si interpositus sit, Episcopus seiscitanti S. Congregationi motiva poenae inflictæ manifestare debet; si deinde S. Congregatio motiva allata iudicet insufficientia, Episcopus poenam irrogatam revocare debet. Verum *recursus* ad-

(1) C. 6. 7. C. 11. qu. 3; c. 1. 18. 20 in VI<sup>o</sup> V. 11; c. 13. X. V. 27.

versus poenam prohibitionis a susceptione ordinum nonnisi rarissime felicem habet exitum; nam Sedes Apostolica vix unquam cogit Episcopum, ut sacros ordines conferat alicui candidato, de cuius dignitate ille non sit persuasus. At contra, saepius factum est, ut Episcopus poenam suspensionis revocare debuerit, cum scilicet argumenta ab ipso allata iudicata sint insufficientia. Inde efficitur, ut Episcopi potestate a Concilio Tridentino sibi data non facile abuti possint, et nequaquam in eorum mero arbitrio aut libito positum sit, ex quocumque delicto plus minusve probabili suos subditos gravibus poenis afficere, uti adversarii huius extraordinarii remedii ex informata conscientia contendunt.

## TITULUS SECUNDUS.

### De procedura iudiciali.

#### CAPUT PRIMUM. — De monitione canonica.

1. Si monitio paterna frustra adhibita fuerit aut suspensio ex informata conscientia infligi nequeat, cum obstet aliqua ratio iuridica, ex art. VII Instructionis. S. Congr. Epp. et Reg. diei 11 Iunii 1880 instauranda est procedura iudicialis: *Ordinarius praecipit Curiae, ut delinquenti analogum iniungatur praeceptum, in quo declaretur, quid ei agendum aut omittendum sit, cum accomodae poenae ecclesiasticae comminatione, quam incurret in casu transgressionis.* Quoniam monitio Episcopi ut *patris* inefficax evasit, agere incipit *Curia*, idest auctoritas publica seu tribunal ecclesiasticum delinquenti intimat *publicam* seu *canonicam* monitionem. Haec autem facienda est per modum stricti praecepti, quo subditus ad aliquid faciendum aut omittendum obligatur eique indicitur correspondens poena, quam incurret, si praecepto obedientiam non praestiterit. Ita monitio indolem poenae publicae, quae commonitum stricte obliget, praesefert. Patet autem necesse esse etiam in hoc casu, ut Episcopus, antequam Curiam eiusmodi monitionem intimare iubeat, *extraiudicialiter* certiores se reddat, utrum praerequisita ad introducendam proceduram iudicalem in casu adsint, necne. Hiuc praecipue inqui-

rere debet, num accusationes prolatae pro certis habendae sint et monitio paterna inefficax manserit.

2. De modo, quo monitio canonica intimari debeat, S. Congregatio art. VIII cit. Instructionis statuit: *Praeceptum intimatur praevento a cancellario coram Vicario Generali, sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis. § 1. Actus subsignatur a partibus praesentibus et a praevento quoque, si velit. § 2. Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum, quatenus id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur.* Hinc monitio canonica cum comminatione poenae *viva voce* facienda est, ideoque delinquens ad hunc finem citari debet. Ut autem tempore futuro, si oporteat, delinquentis pertinacia probari possit, monitio a cancellario seu actuario coram Vicario Generali (vel Officiali) vel coram duobus testibus intimetur necesse est. De quo actu praeterea protocollum confici debet, quod a personis praesentibus et etiam a commonito, si velit, subscribitur. Hoc igitur protocollum postea, si opus sit, probationis loco erit, monitionem rei legaliter factam esse. Si vero delinquens citatus non compareat, monitio canonica *scriptis* per decretum facienda est, et quidem, si fieri possit, per epistolam a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis, id quod etiam in monitione paterna fieri potest (art. VI cit. Instr.). Quamvis autem procedura iam iudicialis sit, tamen etiam in hoc casu, in quantum fieri potest, consulendum est rei famae et honori; proinde commendatur etiam, ut testes, pro natura criminis, iuramento constringantur ad servandum secretum.

Poenam tamen comminata *infligi* nequit, nisi praecesserit *trina* (1) monitio. Haec autem ita fieri debet, ut inter unam et alteram spatium saltem duorum dierum intercedat. Si vero res ob graves rationes tamdiu protrahi nequeat, non requiruntur tres monitiones, sed sufficit una *peremptoria*, quo in casu tamen expressis verbis dicendum est, eam valere pro triplici ideoque commonitum poenam statim et absque ulteriore monitione incursum esse, si intra statutum terminum sese non correxerit.

3. Si monitio canonica felicem non habuerit exitum, vel si agatur de publico et gravi crimine consummato, quod mera mo-

(1) C. 16. X. III. 1 et saepius.

nitio canonica nullo modo satis vindicari queat, *processus criminalis* instauretur necesse est. Hinc cit. Instr. art. X praescribit: *Quum procedi oporteat criminaliter, sive ob infractionem praecepti, aut ob crimina communia vel legum Ecclesiae violationem, processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus.*

## CAPUT SECUNDUM. — De ipsa procedura.

### ARTICULUS PRIMUS. — De inquisitione praevia.

1. Procedura criminalis tunc tantum institui potest, si patratum fuerit aliquod *crimen externum*. Crimen autem semper supponit aliquem determinatum reum. Si solum ipsum crimen notum est, ex officio inquiri debet in eius *auctorem*, quo non detecto procedura criminalis institui nequit. Auctore criminis detecto, iudicium ecclesiasticum contra delinquentem procedere debet. Si vero auctor criminis ab initio iam cognitus est, statim in eum procedi potest.

2. Procedura criminalis *instauratur* per promotorem iustitiae (cfr. pag. 18). Is enim, postquam de crimine patrato eiusque auctore praesumpto certior factus est, statim aliquam inquisitionem praeviam instituere debet. Est autem omnino indifferens, *quomodo* in notitiam criminis eiusque auctoris ille venerit, utrum directe an indirecte, utrum per Episcopum, vel per tribunal occasione alicuius alterius inquisitionis vel procedurae iudicialis, an per supplicem libellum, per libellum accusationis, per folia publica, per denuntiationes *viva voce* aut scripto factas etc. Id enim exprimit art. XI nostrae Instructionis, dum ait: *Processus instruitur ex officio aut in sequelam supplicis libelli et querelae, aut notitiae alio modo a Curia habitae.* Annotetur tamen, epistolas anonymas nunquam aut dumtaxat maxima cum circumspicione esse accipiendas (cfr. pag. 31). Uti supra iam diximus, promotor iustitiae etiam in aliis denuntiationibus admittendis necnon in inquisitionibus perficiendis magnam cautionem et prudentiam adhibere debet, ne scilicet fama praesumpti rei laedatur. Si autem agatur de aliquo sacerdote, praecipue cavendum est, ne quid detrimenti capiat parochianorum fiducia, qua nisi fruatur,



sacerdos sacrum ministerium in utilitatem fidelium administrare nequit.

3. Promotor iustitiae, postquam igitur aliquo modo in notitiam alicuius delicti eiusque praesumpti auctoris venit, imprimis *extraiudicialiter* debet inquirere in factum et in omnia facti adiuncta, quae praetense reo favere aut nocere possunt. Ad hunc finem potest accedere locum delicti commissi, testes examinare, peritos consulere, magistratus ecclesiasticos exquirere, uno verbo: potest, immo debet colligere probationes ad demonstrandam culpam aut innocentiam praesumpti auctoris criminis. Eiusmodi enim inquisitio *praeparatoria* semper praecedere debet proprie dictam proceduram *iudicalem*, nisi agatur de delictis notoriis, in quibus nulla ulteriore inquisitione opus est. Id autem exprimitur etiam art. XV citatae Instructionis: *Basis facti criminis constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extraiudicialibus, vel testium depositionibus. Quoad titulum transgressionis praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis perfectorum modis enuntiatis art. VII et VIII.*

Temeraria et praecepta instauratio procedurae criminalis, quae absque sufficienti et legitimo fundamento in aliquem intentatur, laeso dat ius recurrendi ad Superiorem eius, qui ipsum in crimen vocavit, ut scilicet iste resarciat damna ex modo suo agendi orta (1).

Per se patet, promotorem iustitiae sese abstinere debere a quaquam inquisitione, si Episcopus accusationem in casu promoveri vetuerit, aut si causa criminalis iam sit praescripta (cfr. pag. 39 sq.). Praeterea ipsa Instructio art. XLIII adducit aliquem casum, in quo opportunum sit, Episcopum saltem ad tempus ab instaurando iudicio criminali se abstinere: *Si contingat quod clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina communia subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis, hoc in casu (Ordinarius) summariam sumit criminis facti cognitionem atque perpendit, an ipsum, ad tradita per ss. canones, locum faciat infamiae, irregularitati, aut aliae ecclesiasticae sanctioni. § 1. Donec iudicium*

(1) S. C. Epp. et Reg. 7 Maii 1830.

*pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est, quod Ordinarius limitet se ad media provisorio. § 2. Expleto tamen iudicio et libero reddito accusato, Curia iuxta exitum informationum, ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis Instructionis.*

Sed accidere potest etiam, ut processus ob bonum commune aut ad praecavenda mala maiora institui nequeat. Nam sicut in iure civili, ita etiam in iure canonico habentur delicta, quorum persecutio pendet a mero arbitrio alicuius personae privatae. Haec autem a promovenda accusatione praesertim tunc desistere solet, si procedura criminalis ipsi potius damnum quam satisfactionem afferret. Ad id illustrandum canonistae adducere solent istud exemplum: Aliquis sacerdos commercium carnale habuit cum aliqua puella nubili et integra; delictum quidem est occultum, sed certis argumentis probari posset. Iamvero processus criminalis in delinquentem institui nequit (1), si puella adversus eius institutionem protestatur, ne scilicet ipsa per processum diffametur. In tali enim casu processus esset contra caritatem christianam atque contra legem naturalem.

4. Si ex processu informativo resultaverit, gravia adesse indicia de culpa inquisiti, promotor iustitiae partes *publici accusatoris* sustinere debet; potest autem ad id adigi etiam per speciale mandatum Episcopi, cui de culpa alicuius determinatae personae persuasum est. Quare conficere debet imprimis *libellum accusationis*, qui contineat nomen accusati, delictum de quo iste accusatur, probationes in inquisitione collectas, nomina testium, si qui habeantur, aliaque omnia notatu digna. Deinde per hunc libellum apud Curiam *accusationem promovere* debet; ipsum libellum deponit in cancellaria tribunalis, ubi a cancellario in eo annotatur dies exhibitionis seu praesentationis. Hoc facto actio promotoris iustitiae interim desiit; ad ulteriora procedere spectat ad tribunal.

#### ARTICULUS SECUNDUS. — De inquisitione iudiciali et de instruenda causa.

1. Accusatione unacum collectis probationibus vel potius argumentis et indicis de culpa inquisiti a promotore iustitiae ad

(1) S. C. Epp. et Reg. 23 Mart. 1748.

Curiam competentem delata, Curia ipsa instituere debet inquisitionem iudicalem. Haec autem perfici solet a iudice instructore, cui adstat actuarius. Est enim in potestate Episcopi vel etiam Officialis, negotium inquisitionis committere alicui probo et idoneo sacerdoti, seu, ut ait art. XII cit. Instructionis: *Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo ecclesiastico, adstante actuario*. Iudex vero delegatus iudicem instructorem tunc tantum constituere potest, si ad id speciali facultate instructus fuerit; qua si careat, eam petere debet ab Episcopo, si inquisitionem personaliter peragere aut nolit aut nequeat. Secus ipse inquisitionem perficere debet. Verum secundum Litteras diei 10 Novembris 1896 a S. Congr. Epp. et Reg. emanatas non semper expedit, iudicem ipsum in crimen eiusque auctorem inquirere, ne scilicet iudex sententiam ferat ex impressionibus in inquisitione acceptis, sed potius ex probationibus ipsi allatis (1).

2. *Inquisitio* autem in eo consistit, ut iudex instructor in forma authentica congerat probationes, quae accusati culpam aut innocentiam demonstrant, seu, ut loquitur Instructio art. XI: *Processus instruitur.... et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia veritas detegatur, et cognitio tum criminis, tum culpae aut innocentiae accusati exurgat*.

3. Iudex instructor in conficiendo processu *summarie* procedere potest, modo servet substantiales regulas iustitiae, id quod Instructio art. X ita exprimit: *Quum procedi oporteat criminaliter... processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus*.

*Ratio* et *modus* inquisitionis diversa sunt pro diversis criminibus in quae inquiritur, sed multum pendent etiam ex variis circumstantiis. Certae et omnibus casibus applicandae regulae procedendi iudici instructori subministrari nequeunt; is enim mandatum suum prudenter explere sciat oportet.

4. Quoad confectionem probationum, velut ex inspectione oculari, ex examine testium etc., ea omnia sunt observanda, quae iam supra (pag. 51 sq.) de probationibus in genere et in specie sunt exposita, atque etiam art. XV-XX Instructionis die 11 Iunii

(1) Litterae citatae publicatae sunt ab E. mo Gennari in suo libro: Sulla privazione del beneficio ecclesiastico etc. (1905), p. 149.

1880 paucis verbis praescribuntur. Haec omnia igitur iudex instructor in inquisitione conficienda sibi in memoriam revocet. In appendice autem huius libri inveniuntur formulae, quae usui esse possunt.

5. Iudex instructor, postquam probationes collegit, videt, utrum ad ulteriora procedi possit, necne. Si ex universa inquisitione ne semiplena quidem probatio emergerit, desistit ab omni actione ulteriore, et in calce actorum decretum « *De non ulterius procedendo* » apponet.

Si habeatur *saltem semiplena* probatio, accusatus imprimis ad examen vocari debet. *Cum collectum fuerit, quidquid opus sit ad factum et accusati culpam constituendam, vocatur is ad examen*, expressis verbis praescribit Instructio art. XXI. Haec autem citatio est de substantia seu adeo necessaria, ut eius omisio totum processum reddat nullum (1). Facienda est etiam in casibus, in quibus agitur de inflictione censurae antea comminatae (2), cum etiam in hisce casibus comminato occasio dari debeat *ad dicendam causam quare*, uti loquitur Decretum S. Congr. Epp. et Reg. 29 Novembris 1741. Si vero crimen est *notorium*, citatio omitti, atque sententia statim dici potest (cfr. pag. 52).

Ut accusatus ad sui defensionem se praeparare possit, in citatione ei indicanda sunt singula capita accusationis adversus eum promotae. Id tamen non *omnino* est necessarium. Hinc ait art. XXII Instructionis: *In indictione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collectae, ut parari valeat ad respondendum*. Quando autem opportunum sit, capita accusationis inquisito non statim patefacere, id decidere remittitur prudenti arbitrio iudicis instructoris. In casu autem, quo citato accusationes contra eum exstantes non statim notificantur, ei patefaciendum est saltem generali modo, adversus eum existere quandam accusationem, a qua sese purgare debeat. De quo art. XXIII Instructionis ait: *Quando autem ob accusationum qualitates, aut ob alia adiuncta prudens non sit, in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur, eundem ad examen vocari, ut sese excuset in causa, quae*

(1) *Reiffenstuel*, l. II, t. III, n. 67 et 68.

(2) C. 12. C. 3. qu. 9.

*ipsum respicit uti accusatum.* Si ipsa accusatio in citatione non fuit expressa, accusatus ius habet exigendi novum terminum ad respondendum accusationibus adversus se prolatis et in examine demum ab ipso cognitis. Proinde non tenetur *statim* responsum dare ad accusationes a iudice instructore ipsi propositas, sed a iudice petere potest, ut sibi concedatur tempus ad conficiendum et exhibendum libellum defensionis. Art. XXVIII Instructionis hanc facultatem ei tribuit hisce verbis: *Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam defensionem, scripto exaratam; praecipue quando ob dispositionem art. XXIII nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione.* Quare non relinquitur *arbitrio* iudicis instructoris, utrum accusato velit concedere novum terminum, necne.

7. Si accusatus citationi obtemperare recuset, quin iustas causas suae absentiae adducat, altera citatio ei debet intimari. In hac autem potest ei notificari, eam esse ultimam atque in casu, quo non compareat, iudicem processurum esse contra eum in contumaciam. Id aperte statuitur art. XXIV Instructionis: *Si iudicio sistere abnuat, iteratur indictio, in qua eidem praefigitur congruus peremptorius terminus, eique significatur, quod si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax, et pro tali in facto aestimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento istam quoque posthaberet intimationem.* Ultimis hisce verbis innuitur, iudicem instructorem iterum citato concedere debere novum terminum, si ille legitimas causas attulerit, ob quas a comparando fuit impeditus, si v. g. ob morbum die praefixi termini non comparuit, vel ob aliquod funus domesticum, vel ob curam animarum necessario peragendam, quin aliquis adfuerit, qui vices eius supplere potuisset.

8. Locus, quo accusatus citatur, ordinarie erunt aedes tribunalis. Verum etiam in quemlibet alium locum citari potest, v. g. in domum parochialem alicuius parochiae vicinae. Neque ipsa domus accusati excluditur, quo in casu citatio continet praecipuum, quod citatus statuta die atque certa hora domi esse debeat, ut iudex instructor cum actuario examinandi causa eum accedat. Istum modum non esse commendandum, ubi adventus commissionis inquisitoriae admirationem populi et suspicionem in inquisitum excitare possit, per se patet.

9. Quodsi accusatus termino praefixo ad examen compareat, a iudice ei proponuntur interrogationes plane et, quoad fieri potest, copiose, ad quas interrogatus definite debet respondere. Interrogationes propositae dataeque responsiones statim ab actuario diligenter in scriptis rediguntur. Huic examini iudiciali intervenire potest etiam promotor iustitiae (qui proinde antea de loco et tempore examinis certior fieri debet), cui supplendi et explicandi causa integrum est, etiam ex parte sua inquisito interrogationes proponere. Accusatus vero nequit exigere, ut ipsi iam in hoc stadio processus concedatur defensor. Sub poena autem nullitatis universae inquisitionis et subsequenter sententiae non licet accusato iuramentum deferre; iudex instructor tamen eum moneat de veritate dicenda (1). Etsi art. XXV Instructionis nil aliud dicat nisi: *Si compareat, auditur in examine, et quatenus responsiones faciat alicuius momenti, debent istae, quantum fieri potest, iudiciali examini exhauriri,* regulae supra traditae observari debent, quoniam fundantur in natura rei et continentur in aliis dispositionibus iuris (2).

10. Ad modum examinandi quod attinet, iudex instructor accusato proponat primo interrogationes *generales* de eius nomine, aetate, domicilio etc., ut scilicet constet de eius identitate. Deinde sequuntur interrogationes *speciales* causam ipsam respicientes. Cum autem examen sit dumtaxat medium veritatis *detegendae*, non licet iudicem instructorem in interrogando ita se gerere, quasi culpam inquisiti iam *supponat*. Proinde iudex prohibetur duris verbis et multis interrogationibus vexantibus accusatum compellere ad confitendum delictum aut ad secum dissentiendum. Etenim legem caritatis iudex servare debet etiam erga fratrem errantem, atque gravi suo officio summa cum lenitate defungatur oportet. Confer formulas in appendice huius libri allegatas, quae iudici instructioni vel specimini interrogationum proponendarum esse possunt. Accusatus quidem *non cogitur*, ut interrogationibus respondeat; verum si tacet, sibimetipsi tribuat, si iudex ex eo desumit causam suspicandi de eius culpabilitate (3). Patet autem

(1) S. C. Epp. et Reg. 24 Apr. 1728.

(2) Cfr. v. g. Conc. Rom. anni 1725.

(3) S. C. Epp. et Reg. 7 Sept. 1713.

per se — et supra citato art. XXV Instructionis iudici instructori praecipitur — ad instantiam accusati etiam illos testes, seu generatim illa media probationis esse admittenda, quae ad eius *innocentiam* probandam conferunt (1).

11. Cum examine accusati coniungitur *confrontatio testium* cum eodem (cfr. pag. 68). Vox confrontationis derivatur a litis contestatione, quae prioribus temporibus in processu civili erat in usu. Litis autem contestatio in eo consistit, quod actor et reus in praesentia testium contra stent, atque ille actionem suam proponat et hic ad eam respondeat, quo fit, ut obiectum litis eruatur. Quia hoc modo processus est legitimatus, confrontatio vocatur etiam *legitimatio processus*. Haec procedura adhibebatur etiam in processu criminali, ubi contra stabant accusator et accusatus, ille ad proferendam suam accusationem, hic ad respondendum. Hodie confrontatio consistit in confrontatione personali *testium* cum accusato. Quae confrontatio in processu criminali eum finem habet, ut accusatum de singulis capitibus accusationis accurate certiore faciat, ita ut exceptiones suas contra haec capita necnon contra ipsos testes statim et directe possit opponere. Verum is finis potest obtineri etiam per confrontationem *verbalem*, quae eo fit, quod *nomina* et *depositiones* testium ex protocollo inquisitionis necnon conclusiones ex eis deductae et requisitorium promotoris iustitiae accusato leguntur vel inspicienda traduntur. Dum prior modus ad evitanda mala, ne scilicet oriantur excitationes animorum etc., plerumque potest omitti et nonnisi in atrocioribus criminibus est adhibendus, alter modus, dummodo accusatus ad examen compareat, est de solemnitatibus substantialibus processus criminalis; quare eius omissio processum reddit nullum, ita ut iste denuo sit conficiendus (2). Art. XXVI Instructionis confrontationem verbalem hisce verbis innuit: *Proceditur inde ad contestationem facti criminosi, et conclusionum habitatum, ad retinendum accusatum criminis lapsumque in relativis poenis canonicis*. Remissa est autem prudenti arbitrio iudicis instructoris, priorem aut alterum modum confrontationis adhibere; iudex vero princi-

(1) Cfr. etiam c. 26. 35. X. II. 20.

(2) Litt. Circul. S. C. Epp. et Reg. 22 Febr. 1851; Decretum S. C. Epp. et Reg. 17 Dec. 1852.

palis hac potestate caret (1). Accusatus ordinarie prohibetur, in confrontatione uti procuratore, nisi agatur de casu necessitatis, de physica nempe impossibilitate, et simul de procuratore mandato speciali munito; quo in casu tamen *postea*, si et quando fieri possit, etiam ipsi accusato confrontatio verbalis est concedenda (2).

Instructio art. XXVII de scopo confrontationis verbalis haec habet: *Quum accusatus tali modo habeat plenam cognitionem eius, quod in actis exstat contra se, ultra quod respondere possit, iure se defendendi a semetipso etiam uti valeat*.

Hinc accusato competit ius impugnandi tum *personas* testium, ergo eorum credulitatem, integritatem etc., tum eorum *depositiones*. Accusatus potuit quidem iam in priore examine, cui subiiciebatur, ad interrogationes iudicis ita respondere, ut simul aliquo modo sese defenderet. In hoc vero examine contra depositiones testium adversas probationes potest comparare atque facta ab iis producta necnon personas ipsas *immediate* impugnare. Potest quoque proferre allegationes in iure quoad culpabilitatem, imputabilitatem etc. suarum actionum, immo potest demonstrare, quod non solum sibi licuerit, hoc vel illo modo se habere, sed ita agere etiam debuerit. Quodsi tunc demum de singulis probationibus, v. g. de depositionibus testium, contra ipsum productis certior factus sit, ideoque sui defensionem non paraverit, potest, si malit, expostulare alium terminum ad sese purgandum a suspicione criminis; quo in casu potest etiam defensionem scriptis exarare, eamque termino statuto tradere iudici instructori. Haec enim continentur in art. XXVIII Instructionis: *Potest quoque, si id exoptat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam defensionem cum memoria in scriptis, praecipue quando ob dispositionem art. XXIII nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione*.

12. Omnes depositiones inquisiti durante examine, uti iam supra diximus, ab actuario statim rediguntur in scriptis, coadiuvante iudice instructore. Examine absoluto protocollum inquisito legitur aut inspiciendum traditur, quo facto interrogatur, utrum omnia approbet, an forte habeat quae addere aut mutare velit.

(1) S. C. Epp. et Reg. 7 Sept. 1834.

(2) S. C. Epp. et Reg. 26 Mart. 1823.

Deinde inquisitus protocollum subscribere debet; idem faciunt iudex instructor et actuarius.

13. Quibus omnibus absolutis, promotori iustitiae, si opportunum censeat, ut aliae probationes comparentur, integrum est expostulare, ut probationes compleantur. Quare ad eius instantiam nova examina testium instituuntur, quo in casu tamen etiam accusatus iterum vocari debet, ut scl. ei detur facultas ad respondendum probationibus noviter adversus se collectis. Sin autem utraque pars, ergo et promotor iustitiae et accusatus, declarent, se alia quae causam respiciant afferre non velle, iudex instructor, quando et ipse arbitretur, causam esse sufficienter instructam, declarat, processum informativum esse *clausum*. Deinde ex actis et probatis conficit *restrictum*, qui substantialia contineat; quo facto munus suum explevit. *Expleto processu actorum instructor restrictum conficit essentialium conclusionum eiusdem*, ait Instructio art. XXIX.

14. Omnia acta processualia necnon actorum restrictum traduntur *promotori iustitiae*. Is autem hoc modo rem iam clare cognoscit atque suas animadversiones comparare valet. Ipse deinde tradit formalem *libellum accusationis* una cum omnibus actibus inquisitionis iudici ordinario, cuius est, processum ad finem perducere atque causam decernere. Perspectis omnibus actibus, iudex ordinarius constituit terminum pro *disceptatione finali*, ad quem accusatum citari iubet. Quae omnia Instructio art. XXXIII hisce verbis exprimit: *Transmittitur dein procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo ex officio fungatur; uterque Ordinario traditur, qui plena causae cognitione adepta diem constituit, in qua disceptanda et resolvenda sit, curans ut accusator certior de hoc fiat.*

Tempus quod ante disceptationem finalem conceditur, debet esse *congruum*, idest sufficiens ad parandam defensionem, ita ut accusatus eiusque defensor ad singula capita accusationis valeant respondere. Terminus nimis brevis, v. g. duorum tantum dierum, secundum Decisionem S. Congr. Epp. et Reg. 20 Aug. 1681 processum reddit nullum. Acta originalia in cancellaria asservantur, et accusato vel eius defensori licitum est ea ibi inspicere. Ceterum accusatus, dummodo curet expensas solvendas, petere potest, ut sibi tradatur omnium actorum processualium et re-

stricti iudicis instructoris, necnon requisitorii et conclusionum promotoris iustitiae *copia* a cancellario pro fidelitate transcriptionis subsignata; mera autem *excerpta* non sufficiunt (1). Verum eiusmodi copias actorum accusato tradere non licet, antequam processus inquisitorius sit clausus (2). Informationes vero ab *Episcopo* datae aliaque documenta *secreta* accusato aut eius defensori nunquam possunt manifestari (3).

ARTICULUS TERTIUS. — De defensione accusati et de disceptatione finali.

1. Ecclesia erga accusatos duplicem habet obligationem, scilicet *puniendi* criminis convictos et *tuendi* criminis accusatos. Quapropter iudex ecclesiasticus accusatis plenam et integram facultatem se defendendi praebere debet. Immo accusati *prohibentur* iuri se defendendi *renuntiare*, cum unusquisque ex iure naturae ad servandum et tuendum suum honorem et bonam famam obligatus sit. Quocirca ius canonicum praescribit, ut in Curiis ecclesiasticis non solum accusatis pauperibus illisque omnibus, qui per semetipsos se defendere non valent, sed etiam accusatis contumacibus constituatur defensor ex officio. Quoniam igitur ius defensionis accusato minui nequit, statuit Instructio nostra articulo XXX: *In die qua causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se repraesentare et defendere ab alio sacerdote aut laico patrocinatore, antea approbatis ab Ordinario.*

Quae dispositio ideo lata est, quod non omnis accusatus in ea condicione est, ut leges criminales et proceduram iudicalem sciat et intelligat; insuper accusatum, qui ipse sui defensionem suscipit, non raro deficiunt quies et prudentia, quae maxime utilia et defensoris propria sunt. Cuique tamen defensori, sive sit laicus, sive clericus, opus est praevia *approbatione* Episcopi, nisi forte accusatus unum inter advocatos semel in perpetuum a Curia approbatus eligere maluerit.

2. In quocumque igitur stadio processus reperitur, facultas defensionis accusato sub poena nullitatis processus nunquam est

(1) S. C. Epp. et Reg. 15 Mart. 1817.

(2) S. C. Epp. et Reg. 22 Iun. 1745.

(3) S. C. Epp. et Reg. 20 Iul. 1900.

deneganda. Quocirca iam in processu inquisitivo accusato, uti supra vidimus, competit ius afferendi iterum ac saepius nova argumenta in sui defensionem, quamobrem *formalis* accusatio tunc demum est promovenda, postquam iudex instructor vim exceptionum durante inquisitione ab accusato propositarum examinavit et perpendit. Licet in quibusdam casibus (cfr. pag. 71) *nomina* testium accusato manifestari nequeant, tamen reus sub poena nullitatis sententiae de ipsis *depositionibus* satis certior fieri debet, quoniam ius defensionis, quod ex iure naturali originem ducit, ei non est minuendum. Istud autem ius defensionis tam late patet, ut ne *confesso* quidem (cfr. pag. 53 sq.) defensio denegari queat. Quare etiam confesso, qui id petit, defensor constitui debet, cum non obstante confessione criminis exceptiones proponi possint, v. g. incompetentiae iudicis, erroris, timoris, etc. Immo iudex ipse inquirere debet, an forte adsint causae, quae confessionem in dubium vocant aut eius vim probandi minuunt, atque si casus ferat, res per sententiam interlocutoriam decidatur necesse est.

3. Favor iuris, secundum quem accusato semper magis favendum est quam accusatori — *Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius quam actori* (1) — expostulat, ut defensor constituatur, etiamsi accusatus contradicat aut declaret, semetipsum esse idoneum ad sui defensionem. Hinc praescribit citata Instructio art. XXXI: *Quatenus praeventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit aliquem constituendo ex officio.* Curiae ecclesiasticae hanc regulam observare debent, licet eius omissio, si accusatus *ipse de facto* in sui defensionem omnia media defensionis adhibuit atque ad id omni ex parte aptus et idoneus erat, sententiam iudicalem non reddat *invalidam*. Defensori autem, similiter ac ipsi accusato, licet, quotiescumque velit, in cancellaria inspicere acta processus, ut sese ad defensionem praeparet, eique integram est, defensionem scriptis exaratam seu libellum defensionis tradere iam ante terminum praefixum. Episcopus vero, quoties indoles processus id exigat, potest ei deferre iuramentum de secreto servando. Quae omnia ita exprimuntur art. XXXII Instructionis: *Defensor caute notitiam*

(1) Reg. iur. 11 in VI<sup>o</sup>.

*haurit processus et restricti in cancellaria, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quae ante propositionem causae exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subicitur oneri secreti iurati, quatenus Ordinario videatur indolem causae id expostulare.* Huc pertinent etiam supra citata Decreta S. Congr. Epp. et Reg., diei 26 Martii 1886 et diei 20 Iulii 1900, secundum quae neque informationes, si quae ab *Episcopo* datae fuerint, neque documenta *secreta* ullo modo partibus aut eorum defensoribus sunt manifestanda. Insuper non licet ulla ratione accusatum impedire, quominus cum defensore suo libere et confidentialiter, ore vel scripto, tractet, id quod cavetur etiam in qualibet procedura criminali saeculari, ne scilicet copia defensionis minuatur. Ob eandem causam accusatus semper *ultimus* esse debet in respondendo, quamobrem eius defensori integrum est, respondere ad replicationem promotoris iustitiae. Immo defensor post animadversiones promotoris iustitiae noviter factas a iudice est *interrogandus*, an habeat quae velit respondere et proferre. Quo facto, non antea, declarari potest, periodum probatoriam esse clausam seu processum offensivum et defensivum finem accepisse.

4. Defensio est aut *directa* aut *indirecta*. Defensio *directa* consistit in eo, quod ad probandam innocentiam accusati producuntur positiva vel negativa argumenta, sive quoad factum, sive quoad ius. Defensio *indirecta* illa vocatur, quae tentat, actionem institutam seu instantiam iudicalem perimere, puta per probationem, tribunal in casu esse incompetens, vel argumenta probationum nullius esse valoris demonstrat, velut per recusationem testium, per exceptionem criminis praescripti, etc.

5. Veritatis eruendae causa ius insuper cavet, ut adhibeantur *positiones, articuli et capitula*, quae v. g. in forma dubiorum proponi possunt. In Clementinis (1) enim praescribitur: *Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones, et articulos ob clariorem probationem usus longaevis in causis admisit, Nos usum eiusmodi observare volentes statuimus, ut iudex sic deputatus a Nobis, ad dandum simul utrosque terminum dare possit.* Quod praceptum licet directe respiciat

(1) C. 2. V. 11.



processum civilem, tamen hodie etiam in processu criminali observari debet.

Etenim processu informativo ad exitum perducto, iudex promotori iustitiae praefigit terminum *ad capitulandum*, idest ad proponenda singula capita accusationis unacum relativis probationibus ex actis iudicis instructoris desumptis. Iudex deinde haec capita accusato notificat eique concedit terminum *ad articulandum*, seu ad refutanda, si valeat, singula capita accusationis articulis defensoriis. Hoc modo proprie dictum iudicium criminale in inquisitum incipit seu reus fit *accusatus*. Per se patet, terminum ad exhibendam defensionem concessum ad instantiam accusati et ex iustis causis a iudice posse prorogari. *Proprie dicta* conclusio in causa, quae in processu civili (1) claudit terminum probatorium, ita ut ordinarie iam non possint produci ulteriores probationes, in processu criminali non habetur. Nihilominus opportunum est, iudicem edere *decretum conclusionis*, quo declaret, periodum probatoriam esse clausam. Etenim quamvis *accusatus*, non obstante decreto conclusionis, semper nova argumenta defensionis afferre valeat, tamen hoc modo accusator seu *promotor iustitiae* prohibetur, producere novos testes in eadem causa vel super iisdem articulis. *Iudici* utique usque ad pronuntiationem sententiae integrum esse debet, ea omnia disponere, quae ad probandum factum et ad veritatem detegendam necnon ad solvenda dubia expedire arbitretur. Talem potestatem iudici attribuunt moderni quoque codices criminales.

6. Elapso termino defensionis parandae causa accusato concessa, iudex vocare debet *accusatum* vel eius procuratorem, si quis sit, *defensorem* ab accusato nominatum aut ex officio eidem constitutum, *promotorem iustitiae* et *actuarium*; testes vero, uti iam diximus, non amplius citantur (2). Omissio *citationis* accusati ad disceptationem finalem proceduram reddit quidem invalidam, attamen non requiritur, ut citatus personaliter *compareat*, sed procurator aut defensor vices eius gerere potest (3). Munere autem iudicis, si Episcopus personaliter ius dicere non vult, fun-

(1) Cfr. *Heiner*, Der kirchliche Zivilprozess, p. 113.

(2) S. C. Epp. et Reg. 7 Sept. 1835 et Litt. Circ. 22 Febr. 1851.

(3) C. 2 in Clem. II. 11.

gitur aut solus Officialis vel Vicarius Generalis, aut collegium iudicum; supra (pag. 14 sq.) iam diximus, iudicium collegiale, praesertim cum agitur de causis magni momenti, esse praefendum iudicibus singularibus, quo nempe tutius omnia secundum ius et iustitiam fiant. Art. XXXIV Instructionis paucis ait: *Die constituta proponitur causa coram Vicario Generali, interessentibus procuratore fiscali, defensore et cancellario.*

7. *Sessio finalis* incipit die et hora a iudice vel a praeside tribunalis constitutis. Promotor iustitiae oraliter iterum proponit suas accusationes unacum probationibus. Hae autem accusationes quoad substantiam concordare debent cum conclusionibus, quas ipse ex actis deduxit et in scriptis iam exaravit. Nam nova capita accusationis producere ei non licet, cum accusatus vel eius defensor contra ea adversas probationes parare non potuerit (1). Accusationes a promotore iustitiae productas subsequitur defensio, tum quoad factum, tum quoad ius, viva voce facta, licet iam antea libellus defensionis tribunali traditus fuerit. Argumenta autem defensionis proponuntur vel ab ipso accusato, vel ab eius defensore, vel ab utroque. Si promotor iustitiae ad argumenta defensionis respondeat, accusatus quoque vel eius defensor replicationem potest opponere. Accusatus enim, uti supra iam diximus, semper ultimus esse debet in respondendo.

#### ARTICULUS QUARTUS. — De sententia iudiciali.

1. Cum promotor iustitiae suas accusationes probationibus confirmatas protulit, atque accusatus vel eius defensor adversas probationes produxit, tribunal, sive statim sive, quod consultius est, in nova sessione decidere debet, utrum causa definitioni sit matura, neene. In priore casu, si scilicet res iudicata est definitioni matura, iudicis seu tribunalis est, sibi formare *iuridicam persuasionem* de culpabilitate accusati, haustam ex probationibus tum in accusationem praesumpti delinquentis, tum in eius excusationem allatis. In altero casu tribunal terminum prorogat, atque causam melius instruendam curat (2). Pronuntiatio legitima, per quam

(1) S. C. Epp. et Reg. 30 Iun. 1826.

(2) S. C. Epp. et Reg. 31 Sept. 1832.

causa in iudicium deducta atque in forma iudiciali tractata deciditur, vocatur *sententia* (1). Haec vero est aut *interlocutoria*, per quam deciditur aliqua quaestio secundaria seu negotium quoddam incidens, v. g. recusatio iudicis aut testium, vel contumacia accusati, aut est *definitiva*, per quam definitur causa principalis, ab accusatore vel ab promotore iustitiae in iudicium deducta.

2. Ad pronuntiandam quamcumque sententiam requiritur, ut iudex quoad rem decidendam intimam habeat *persuasionem moralem* seu *certitudinem*, haustam non ex privatis cognitionibus, sed ex actis et probatis. Quam certitudinem plenam si non habet, iudex declarare debet, ex hactenus deductis *non constare*, accusatum esse culpabilem, ideoque eum ab *instantia* absolvere debet, non vero a *crimine*, cuius proinde canonici effectus, v. g. irregularitas, manent. Si vero iudex intimam illam persuasionem habet, aut declarat per sententiam *absolutoriam*, constare de innocentia accusati, huncque dimittit, aut per sententiam *condemnatoriam* definit, culpam accusati esse probatam, criminisque convictum condemnat. Quodsi condemnationem praecesserint remedia praeventiva, iudex declarare potest, iis poenam inflictam iam esse solutam, vel poenam determinandam pro rata potest minuere.

3. Iudex qui *solus* causam decidere debet, prohibetur quemquam assumere, qui ipsum in ferenda sententia adiuvet, licet *consilio* assessorum sibi adiunctorum uti possit. In iudicio autem *collegiali*, sub poena nullitatis sententiae, causae decisioni *omnes* et *soli* ii interesse debent, quibus tribunal constat. Si quis igitur in decursu processus propter adversam valetudinem vel ex quacumque alia causa e collegio iudicum discesserit, Episcopum in eius locum substituatur alium, qui in ferenda sententia partem habeat, praefereudo aliquem, qui instructioni causae iam interfuit.

4. Si sententia non statim post disceptationem causae finalem profertur, praeses iudicii collegialis diem et horam constituit, quibus iudices discutiendi et iudicandi causa convenient. *Locus* istius conventus sit ipsa sedes tribunalis, nisi rationes speciales suadeant, ut deligatur alius locus. Die constituta expedit quemque iudicem afferre votum suum scriptum, et quidem latine confectum, quod

(1) X. II. 27.

contineat rationes decidendi in iure et in facto. Iste modus procedendi, qui apud S. Rotam iam de praecepto est, aptissime adhibetur in omnibus iudiciis, cum ita unusquisque iudex plenam cognitionem causae acquirat atque per semetipsum et independenter ab aliis iudicibus sententiam ferat. (Vota scripta, involucro clausa, postea inserenda sunt actis processualibus, ibique secreto asservanda.) In conventu autem iudicum unusquisque votum suum tradit vel legit; initium fit vel ab eo, qui antiquior est munere, vel a praeside tribunalis. Post vota lecta fit brevis discussio seu disputatio, moderatore praeside, quae praecipue intendit determinare decisionem finalem per vota maiora habitam, necnon textum seu tenorem sententiae. In discussione fas est cuique iudici, a voto suo recedere atque accedere voto ceterorum iudicum, si sibi persuasum sit, aliorum votum melioribus rationibus esse instructum seu magis accedere ad veritatem.

Ad iudicandam vim probationum quod attinet, statui possunt hae regulae:

a) In primis videndum est, an probationes, quae *contrariae* esse videntur, inter se conciliari possint (1). Si *revera* inter se pugnant, locus est regulae: *maiorem probationem praefereendum esse minori*, ita ut probatio minor pro non allata habeatur, si pro eadem re probatio maior adducta fuit, quamobrem adhibetur principium iuris: *actore non probante reus absolvitur* (2). Probatio igitur plena destruit semiplenam (3).

b) Duae probationes *aequales*, quae sunt contrariae, quin inter se conciliari possint, sese invicem tollunt (4).

c) Si diversae probationes inter se comparentur, dicendum est, *inspectionem ocularem*, cum producat *immediatam* persuasionem de veritate alicuius rei, unam omnium *maximam* habere *vim probandi*. Siquidem in processibus criminalibus inspectio ocularis, v. g. vulnerum a medicis peracta, plurimum valet ad definiendum, in quonam gradu accusatus sit culpabilis, et in quanam mensura poena sit infligenda.

(1) C. 2 in Clem. II. 8; cfr. c. 13. X. II. 13.

(2) C. 3. X. II. 12.

(3) C. 9. X. II. 19.

(4) C. ult. X. II. 27.

d) Alia regula est: *generi per speciem derogatur* (1), idest probationes specificae praevalent probationibus genericis. Si v. g. ex una parte probatum sit, accusatum gaudere bona fama, ex altera autem parte, eum esse auctorem *certi* cuiusdam criminis, haec altera probatio praevalet priori.

e) Licet in civilibus duae probationes semiplenae, v. g. iudicium et praesumptio, quae ad unum eundemque finem tendunt, ad plenam fidem faciendam sufficiant (2), tamen in criminalibus ordinarie non sufficiunt ad condemnandum accusatum. Si verotales sint, ut coniunctae *moralem* gignant *certitudinem* de culpa accusati, iudex sententiam condemnatoriam ferre non prohibetur.

5. Ea demum est *sententia*, in qua firmiter conveniat *pars absolute maior* iudicum votum decisivum habentium, eodemque modo determinatur modus et mensura *poenae* infligendae. Si autem vota sint *paria*, accusatus est absolvendus.

Quodsi iudices in primo conventu sententiam definitivam ferre aut nequeant aut nolint, causae decisio potest differri in alterum conventum. Hunc autem ordinarie praestat non protrahere ultra hebdomadam, ne scilicet res tractatae e memoria excidant; si vero intercedant dies feriati, quibus actus iudiciales poni nequeunt (3), dilatio diuturnior semper excusatur.

Sententiam *in scriptis* exarandam esse, per se patet. Art. XXXV nostrae Instructionis id etiam expressis verbis iubet, dum ait: *Post votum procuratoris fisci et deductiones defensionis profertur sententia, dictando partem dispositivam cancellario, cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicae sanctionis accusato applicatae.*

Praeterea sententia debet esse *iusta* seu secundum ius, *determinata*, *absoluta*, ergo non condicionalis, et *conformis libello accusationis*.

6. Sententia exaranda est *lingua latina*, uti iam supra diximus, et edenda ordinarie saltem intra *triginta dies* a decisione. Iudex *singularis* ipse sententiam scripto conficere debet. In iudicio autem *collegiali* id spectat ad praesidem collegii; is tamen

(1) Reg. iur. 34 in VI<sup>to</sup>.

(2) Glossa in c. 13. X. II. 19.

(3) Cfr. pag. 28.

deputare potest etiam alium iudicem, id quod praesertim tunc faciat, si eius votum discrepaverit cum parte maiore votorum.

Sententia incipit a *specie facti*, scilicet praemittitur brevis expositio rei, de qua agitur. Deinde sequitur *pars dispositiva* sententiae, idest ipsa sententia, quae continere debet vel condemnationem vel absolutionem quoad omnia et singula et sola capita accusationis in iudicium deducta. Denique afferri debent *rationes decidendi*, tam in facto, quam in iure. Si agatur de iudicio collegiali, hae rationes decisionis desumi possunt ab eo, qui sententiam exarat, ex votis iudicum in acta relatis, nisi forte maior pars iudicum iam determinaverit, quae rationes decidendi in parte motiva sententiae adduci debeant. Huius triplicis partis sententiae mentio fit etiam in Instructione, quae paucis innuit necesse esse, ut sententia contineat: *facti narrationem, iudicis decisionem et articulum legis, quo innititur condemnatio.*

7. Ad *formam externam* quod attinet, sententia incipit ab invocatione nominis divini. Deinde appellatur iudex vel iudicium, a quo sententia prolata est. et referuntur nomen et domicilium tam accusatoris quam accusati, necnon procuratorum et advocatorum atque promotoris iustitiae. Sequuntur species facti una cum requisitorio promotoris iustitiae et pars dispositiva sententiae cum rationibus decidendi in facto et in iure. In fine sententiae adiicitur indicatio diei, mensis, anni et loci in quo decisio prolata est, necnon subscriptio iudicis vel iudicum secundum ordinem praecedentiae, prout iudex singularis vel collegium iudicum decisionem tulit, et actuarii.

8. Sententia ita exarata quamprimum est *publicanda*, certiorato prius Ordinario, uti supra (pag. 15) diximus. Haec publicatio sententiae fit vel eo modo, ut accusatus vel eius procurator rite citatus solemniter pronuntiationi sententiae per iudicem in aula audientiae personaliter intersit, vel ita, ut ad eum transmittatur copia authentica, sive per apparitorem seu nuntium iudicii, sive per epistolam a publicis tabulariis inscriptam, exquiritur fide receptionis. Textus *autographus* sententiae in actis cancellariae seu in archivio tribunalis asservari debet. Quando autem accusatus plene absolutus fuit, acta processus informativi sunt comburenda, et insuper absoluto omnia stipendia, si quae tem-

pore inquisitionis sequestrata fuerint, aliaque damna passa omnia sunt restituenda.

Hae normae pro exarandis et publicandis sententiis definitivis statutae, mutatis mutandis valent etiam pro sententiis *interlocutoriis*. Sententia tamen interlocutoria a sententia definitiva inter alia differt *primo*, quod non producit infamiam, *secundo*, quod non scripto concipienda est neque partes citari debent, *tertio* denique, quod in casu appellationis ab ipso iudice, qui eam protulit, corrigi potest, nisi habeat vim sententiae definitivae (1).

9. Processus ecclesiastici in prima instantia *intra biennium* a die promotae accusationis finiri debent (2); biennio elapso accusato integrum est adire iudicem superiorem; is autem causam in eo statu ad suum tribunal advocat, in quo reperitur. Verum haec dispositio Concilii Tridentini causis *non in praeiudicium iustitiae* applicanda est. Licet quivis processus quamprimum sit terminandus, tamen in iudicio ordinario sententia ferri nequit, nisi processus offensivus et processus defensivus fuerint clausi, quoniam partibus, praesertim accusato, sufficiens copia temporis ad producendas probationes concedi debet (3). Proinde termini substantiales processus nequeunt abbreviari, et iudex tamdiu prohibetur ferre sententiam, quamdiu causa est dubia. In tali autem casu aut iuxta cap. 4. X. I. 29, partes consentiant necesse est, ut processus non obstante elapsu biennii ab eodem iudice continetur, aut secundum dispositionem Tridentini omnia acta transmitti debent ad iudicem superiorem (4).

10. *Effectus sententiae condemnatoriae* hisce comprehenduntur: In primis iudex sententiam a se latam iam non potest *corrigere*, etiamsi interim cognoverit, se errorem aut iniustitiam commisisse. Alius effectus est, quod condemnatus, nisi intra decem dies appellaverit, poenam inflictam subire debet, cum decennio elapso habeatur *res iudicata*. Efficitur denique, ut condemnatus, si damnatus fuerit ob publicum atque diffamans crimen, v. g. ob adulterium, furtum, sodomiam, etc., incurrat *infamiam* cum omnibus suis sequelis.

(1) Cfr. Conc. Trid. Sess. XIII. c. 1.; Sess. XXIV. c. 20 de ref.

(2) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 20 de ref.

(3) C. 2 in Clem. V. 11.

(4) *Santi-Leitner*, Prael. iur. can., ed. IV. t. II. p. 231.

11. Ultimo loco pauca annotentur de *sententia declaratoria*. Finis processus est delinquentis convicti punitio per sententiam iudicalem. Poenae igitur, quae irrogantur, sunt *ferendae sententiae*, idest non incurruntur, nisi per *sententiam condemnatoriam* iudicis infligantur. At sunt etiam poenae *latae sententiae*, quae ob certa crimina ipso facto, idest perpetratione criminis seu mera positione facti criminosi incurruntur. Etiamsi tales poenae a lege statutae pro foro *interno* incurantur, quin ulla sententia iudicis requiratur, tamen in foro *externo* a delinquente non sunt executioni mandandae, nisi praecesserit *sententia declaratoria* iudicis, seu nisi iudex prius declaraverit, constare de culpa delinquentis et consequenter de incurra poena. Eiusmodi autem declaratio non est necessaria, si ipsa lex statuit, poenas etiam pro foro *externo* ipso facto et absque sententia iudicali incurri.

Tridentinum (1) v. g. in beneficiatos curatos ob illicitam absentiam a loco beneficii poenam amissionis fructuum beneficiorum ipso facto incurrendam statuit cum clausula: *alia etiam declaratione non secuta*. Item Constitutio « *Ambitiosae* » in praelatos inferiores, alienantes bona beneficalia absque solemnitatibus a iure praescriptis, poenam privationis beneficii ipso facto incurrendam statuit cum clausula: *illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur*. Pariter Constitutio Pii V « *Ex proximo* » clericos, horas canonicas culpabiliter non recitantes, poena amissionis fructuum beneficii coercet, quam amissionem Alexander VII declaravit locum habere: *ante sententiam declaratoriam iudicis*.

Si vero eiusmodi clausula poenis latae sententiae expresse non sit adiecta, ad has poenas incurrendas requiritur sententia iudicialis quae declaret, quod *constet* de crimine commisso. Processus tamen in hoc casu paucis absolvitur. Summaria sumta facti criminosi notitia, delinquens in iudicium vocatur ad audiendam sententiam declaratoriam. Haec citatio ita necessario requiritur, ut eius omissio sententiam declaratoriam reddat invalidam, nisi agatur de criminibus *notoriis*, in quibus neque inquisitio neque citatio est necessaria (2), dummodo notorietas sit *certa*, non dubia.

(1) Sess. XXIII. c. 1 de ref.

(2) *Monacelli*, Formul. Par. II<sup>a</sup> tit. I. n. 5.

Sufficit autem una citatio eademque peremptoria. Cum enim, ait Monacelli (1), agatur de excommunicatione a iure lata, unica monitio est competens et canonica pro declaratione, nec requiritur iurina. Delinquenti vero notificandum est, hanc citationem esse peremptoriam ideoque sententiam declaratoriam, eum poenam incurrisse, pronuntiari, etsi intra terminum statutum non compareat.

Delinquenti, qui iudicio se sistit, notificatur delictum, de quo accusatur (2), eique concedenda est copia defensionis eodem modo ac in aliis processibus. Sequuntur probationes defensionis per testes, documenta, etc., de quibus promotor iustitiae certior fieri debet. Statuta die locum habet disceptatio oralis, qua absoluta statim profertur sententia declaratoria poenae incurssae.

Effectus sententiae declaratoriae se extendunt retro usque in diem, qua poena incurssae est, ideoque adest v. g. in poena privationis beneficii obligatio restituendi fructus perceptos. Aliis verbis: Sequelae sententiae declaratoriae afficiunt omnes actus positos inde a tempore criminis commissi, cui poena latae sententiae adnexa est.

Condemnatus intra decem dies adversus sententiam *appellationem* interponere potest. Haec autem appellatio habet etiam effectum *suspensivum*, nisi agatur de delicto *notorio*, quo in casu viget dispositio iuris Decretalium (3): *Si vero publicus est et notorius (excessus), appellationis obtentu non permittas, quin eos excommunicatos denunties, ipsosque facias sicut excommunicatos cautius evitari*. Quae dispositio, licet directe agatur tantum de excommunicatione latae sententiae, applicatur omnibus poenis ipso iure inflictis (4).

#### ARTICULUS QUINTUS. — De modo procedendi in contumaces.

1. Contumacia intelligitur inobedientia erga iudicem legitime iubentem cum pertinacia commissa, vel ut eam definit Schmalz-

(1) L. c. n. 4.

(2) Monacelli, l. c. n. 6.

(3) C. 3. X. II. 28.

(4) Cfr. Gennari, Sulla privazione del beneficio ecclesiastico etc., 2. ed. 1905, p. 210 sq.

grueber (1): *Inobedientia a legitime vocato erga iudicem, in iis, quae ad iudicium pertinent, commissa*. Contumacia dividitur in *veram* et *praesumptam*. Illa habetur, cum quis immediate et directe est citatus, et nihilominus citationi non parat, quin legitimo detineatur impedimento. Haec existit, cum quis non per citationem ipsi insinuatam vocatur, sed ita (v. g. per epistolam in eius domum missam, per publicum decretum, per ephemerides, etc.), ut rationabiliter praesumi debeat, citationem in eius notitiam pervenisse, et tamen non comparet, quin causam excusantem suae absentiae exhibeat. Hanc divisionem esse magni momenti ex eo cognoscitur, quod verus contumax non amplius auditur neque quoad ea, quae durante contumacia acta sunt, beneficio gaudet restitutionis in integrum. E contra contumax praesumptus, cum iudicio se sistens adducit iustam causam excusantem suae absentiae, audiri debet, immo adversus sententiam iudicis ei datur restitutio in integrum (2).

2. Accusatus eo fit contumax, quod non obstante legitima atque ipsi insinuata citatione, coram iudice comparere recusat, vel quod latitat vel alio modo impedit, ne citatio ad ipsum perveniat, vel eo quod cuicumque mandato speciali iudicis non parat, vel tribunali legitime interroganti non respondet. Ius Decretalium de hac re agit in proprio quodam titulo (3). Instructio autem diei 11 Iunii 1880 art. XXIV iudicis hanc subministrat normam: *Si (accusatus) iudicio sistere abnuat, iteratur indictio, in qua eidem praefigitur congruus peremptorius terminus, eique significatur quod, si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax, et pro tali in facto aestimabitur, quatenus, absque probato legitimo impedimento, istam quoque posthaberet intimationem*. Hinc Instructio contumaciam vocat accusati recusationem se sistendi iudicis, postquam praecesserit duplex citatio, cum explicita notificatione in secunda citatione, hanc esse ultimam, et fore ut accusatus, si ne isti quidem citationi obedientiam praestiterit, habeatur contumax, ita ut non obstante eius non comparitione processus continuetur; Instructio tamen supponit, accusatum non posse

(1) L. II. t. 14. n. 38.

(2) C. 18. X. II. 27.

(3) X. II. 14.

proferre ullum legitimum impedimentum, quod eum a comparando detineat.

3. Instructio, cum ipsum modum procedendi in contumaces non exponat, iudicem remittit ad vigens ius canonicum. Iamvero ex iure communi relinquatur prudenti arbitrio iudicis, assignare certum temporis intervallum, quod inter diversas citationes intercedat, habita ratione variarum circumstantiarum temporum et personarum atque distantiae locorum (1). Termino constituto elapso, iudex accusatum citatum, qui culpabiliter non comparuit, declarat contumacem, quo facto contumax incurrit hasce poenas: Privatur iure producendi probationes in sui defensionem, nisi refererit expensas atque sufficienter caverit, se non amplius e processu discessurum esse (2); constituitur ei defensor ex officio, seu privatur iure eligendi advocatum; actor ex primo decreto mittitur in possessionem rei controversae, custodiae causa, atque ex secundo decreto fit verus possessor; possunt etiam sequestrari fructus usque ad finem processus (3). Si accusatus in *respondendo* est contumax, praesumitur eum in sui praeiudicium affirmantem vel negantem responsionem dedisse. Contumax privatur etiam iure appellationis, et adversus sententiam dumtaxat recursum interponere potest. Contumaces possunt etiam mulctis pecuniariis et censuris puniri, si gravitas criminis id exigat, bina citatio locum habuerit (4), atque executio sententiae aliter fieri nequeat.

Quodsi accusatus iudicio se sistit, postquam iam declaratus est contumax, non auditur, nisi, uti supra iam diximus, expensas refererit atque cautionem praestiterit, se abhinc obtemperatum esse. Si comparet post sententiam latam, se purgare debet a contumacia necnon a crimine ipsi imputato, atque si a crimine tantum sese purgaverit, absolvitur quidem, sed punitur ob contumaciam.

4. In praxi ratio procedendi in contumaces haec est. Procedura instauratur eo, quod promotor iustitiae iam post primam citationem, cui citatus non paruerit, postulet, ut contra accusatum tamquam contra contumacem procedatur; si neque secunda et per-

(1) Cfr. c. 6. C. 24. qu. 3; c. 1. X. II. 8.

(2) C. 10. X. II. 6.

(3) C. 25. X. I. 3.

(4) Conc. Trid. Sess. XXV. c. 3 de ref.

emptoria citatio effectum habuerit, promotor iustitiae instantiam suam iterum promovet. Quo facto, contumaci constituitur a tribunali defensor ex officio, et discussioni causae statuitur terminus. Die constituta locum habet procedura criminalis contra contumacem absentem. Ob culpabilem suam absentiam accusatus privatur beneficio personalis defensionis, atque ob suam inobedientiam ingerit suspicionem de sua culpabilitate, ita ut praesumptio stet contra eum. Attamen eius inobedientia culpam nondum probat; antequam possit condemnari, culpa est probanda, et quidem eodem modo, ac si esset praesens.

Quare procedura in contumaces eo tantum differt ab ordinaria procedura criminali, quod omnes actus omittantur, in quibus requiritur praesentia personalis accusati: examen, confrontatio, defensio per semetipsum, etc. Culpa probata, contumaci irrogatur poena a lege statuta; excipitur tamen degradatio, quae in procedura contra contumaces non infligitur, at non excipitur amotio neque depositio (1). Si contumax postea a sua contumacia sese purgabit, procedura iudicialis denuo potest institui.

## SECTIO TERTIA.

### De remediis iuris contra sententiam iudicalem.

#### TITULUS PRIMUS.

##### De remediis iuris in genere.

1. Prout sententia alicuius iudicis putatur vel iniusta vel invalida, vel iam transiit in rem iudicatam, habentur diversa media legitima, quibus sententia iudicialiter corrigi potest. Contra *iniustam* sententiam, quae nondum transiit in rem iudicatam, datur remedium ordinarium appellationis; contra *invalidam* sententiam habetur remedium extraordinarium querelae nullitatis; contra sententiam, quae *transiit in rem iudicatam*, conceditur remedium

(1) S. C. Epp. et Reg. 13 Apr. 1818.



extraordinarium restitutionis in integrum vel revisionis processus ex parte Sedis Apostolicae. Nullum vero datur remedium adversus laesionem per aliquam legem passam, quare nemo potest appellare dicendo, legem contra ipsum rite applicatam esse iniustam; at contra quis potest obicere, legem applicatam non iam habere ullum valorem, v. g. propter consuetudinem contrariam, aut legem in causa praesenti applicari non posse.

2. Remedia iuris sunt aut *devolutiva*, quibus causae cognitio iudici inferiori omnino subtrahitur, atque ad iudicem superiorem defertur (1), aut *non devolutiva*, quibus efficitur, ut causa iterum ab eadem instantia sit cognoscenda et definienda. Praeterea remedia iuris habent aut vim *suspensivam*, si nempe iis prosecutio procedurae impugnatae atque praesertim executio sententiae latae usque ad decisionem instantiae superioris suspenditur, aut vim *non suspensivam*, si scilicet executio sententiae ab instantia inferiore latae non suspenditur, sed modo provisorio executioni mandari potest (2).

3. Sententia pronuntiata, adversus quam condemnatus intra tempus legitimum nullum interposuit provocationis subsidium, *transit in rem iudicatam*, idest processus est terminatus et inter partes ius est factum (3), quod ut valeat, per executionem sententiae effici debet.

4. At sunt etiam sententiae, quae nunquam transeunt in rem iudicatam. Huc spectant in primis sententiae directe *contra legem* latae (4); haec enim quolibet tempore retractari possunt, nisi post elapsam triginta annorum praescriptio locum habuerit. Idem valet de sententiis latis *a iudice incompetente*, cui scilicet accusatus nulla ratione subiectus erat (5), necnon de sententiis, in quibus iudex *erravit* quoad factum, licet istud fuerit manifestum et evidens, quoniam ius nequit tueri apertam iniustitiam (6). Nunquam denique sententia *condemnatoria in re criminali* transit in rem

(1) C. 3. in VI<sup>to</sup> H. 15.

(2) C. 10. in VI<sup>to</sup> H. 15.

(3) C. 13. X. H. 27.

(4) C. 1. 13. X. 2. 27.

(5) C. 4. X. H. 1.

(6) C. 9. X. H. 27.

iudicatam; quodcumque enim innocentia accusati apparuerit, sententia potest vel debet corrigi aut saltem per recursum ad Romanum Pontificem annullari.

## TITULUS SECUNDUS.

### De remediis iuris in specie.

#### CAPUT PRIMUM. — De remedio ordinario appellationis.

1. Instructio S. Congr. Epp. et Reg. diei 11 Iunii 1880 art. XXXVI praescribit: *Sententia indicitur praevento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem*. In eiusmodi autem causa appellationis secunda instantia sequi debet normas a citata Instructione traditas: *Quam appellatio producitur a sententia alicuius Curiae episcopalis ad metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione causae sequitur normam procedendi in hac Instructione traditam* (Art. XLII).

2. Appellatio intelligitur provocatio ab uno ex litigantibus facta ad iudicem superiorem seu a iudicem ad quem, ut is sententiam, latam a iudice inferiore, seu a iudice a quo, per quam provocans laesum se existimat, examinet atque, si fieri possit, revocet aut corrigat in favorem appellantis. Nunquam vero iudex sententiam, quam ipse tulit et publicavit, corrigere potest, neque alio modo querelae condemnati remedium afferre valet.

Ius appellandi competit imprimis *accusato condemnato*; at etiam *promotor iustitiae*, necnon quilibet *tertius*, qui ius suum per sententiam laesum existimat, adversus iudicem inferiorem invocare possunt superiorem, nisi appellatio in causis particularibus a iure sit prohibita.

3. Ex iure communi nequit appellari:

a) a sententia *interlocutoria*, nisi haec habeat vim sententiae definitivae, aut nisi appellatio fiat tam contra eam quam contra sententiam definitivam;

b) a sententia lata in procedura contra *contumaces* (cfr. pag. 120 sq.), si accusatus contumaciam suam non purgaverit, nisi

is forte hanc purgationem in ipsa instantia appellationis velit instituire (1);

c) a sententia lata ob delicta *notoria* aut ob accusati *confessionem*, nisi demonstrari possit, quod in confessione intercesserit error aut vis (2);

d) si appellatio esset *frivola*, seu absque ulla rationabili causa et manifesto solum ad protrahendam executionem sententiae prolata (3);

e) in causis decisis per *transactionem* seu amicabilem compositionem (4);

f) in causis, in quibus iam *tres habentur sententiae iudiciales* super iisdem articulis (5), cum nemo ter possit appellare;

g) in causis decisis ab ipso *Romano Pontifice* aut ab aliquo, cui a Sede Apostolica cognitio causae cum clausula *appellatione remota* fuit delegata (6), nisi habeatur sententia aperte iniusta (7);

h) a sententia, a qua non *intra terminum a iure statutum* appellatio interposita fuit, videlicet a sententia, quae iam transiit in rem iudicatam (8);

i) si iuri appellationis sponte *renuntiatum* fuerit (9);

k) a sententia in causis, quae secundum dispositionem iuris *celeriore* atque *inappellabili* procedura expediri debent.

4. Appellatio non solum contra sententiam *definitivam* in casibus a iure non prohibitis interponi potest, sed etiam contra sententiam *interlocutoriam*, quae aut vim habeat sententiae definitivae, aut infligat gravamen, quod per appellationem a sen-

(1) Decret. Urbani VIII. 16 Oct. 1600, art. 14; S. C. Conc. 23 Ian. 1869.

(2) C. 5. 13. 14. X. II. 28.

(3) C. 59. X. II. 28.

(4) C. 54. X. II. 28; c. 25. X. II. 20; c. 20. X. I. 29; c. 2. X. I. 43.

(5) C. 1 in Clem. II. 11.

(6) C. 53. X. II. 28.

(7) C. 9. X. II. 27.

(8) C. 33. X. II. 28; c. 15. X. II. 27.

(9) L. 5. § 6. C. de temp. 7, 63.

tentia definitiva reparari nequeat (1). Si autem dubitetur, utrum in certo quodam casu appellatio permessa sit, necne, a parte adversa est *probandum* (2), eam esse prohibitam, secus interponi potest.

5. Appellatio fieri potest a *quolibet* iudice, sed ordinarie tantum *ad proximum et immediatum superiorem*, nisi istum adire physice aut moraliter sit impossibile (3). At contra, ad *Romanum Pontificem* immediate appellari potest omni tempore atque omissis instantiis mediis; verum etiam hic praestat procedere *gradatim* (cfr. pag. 24). Cum Vicarius Generalis (vel Officialis) cum Episcopo unum idemque constituat tribunal, a sententia lata ab illo nequit appellari ad tribunal Episcopi, sed appellatio fiat necesse est ad secundam instantiam vel ad Romanum Pontificem (4). Controversia *privata* exorta inter Episcopum et clericum dioecesanum, non ab Episcopo est definienda, sed potius ab arbitris iuris (5). A sententia horum arbitratorum iuris non ad tribunal episcopale, sed ad superiorem tantum iudicem appellari posse (6), per se patet. At a sententiis a Romana Rota in prima vel secunda instantia latis appellari potest ad secundam vel tertiam instantiam eiusdem supremi tribunalis, quo in casu turnus proximus sententiam in gradu appellationis ferre debet (cfr. pag. 23). Appellantes vero a iudice ecclesiastico ad iudicem saecularem aut ad futurum Concilium generale ex Constitutione « *Apostolicae Sedis* » diei 12 Augusti 1869, ser. I. n. IV et VI, incurrunt excommunicationem latae sententiae, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

6. Cum ordinarie habeantur tantum *tres* instantiae, in una eademque causa dumtaxat *bis* appellari potest, scilicet a prima instantia ad secundam et a secunda ad tertiam (de instantiis appellationis cfr. superius tradita pag. 10 sq.). Ius autem est illud, in quo duae instantiae conveniunt.

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 20 de ref.

(2) S. C. C. 23 Ian. 1880.

(3) C. 9. C. 2. qu. 6; c. 66. X. II. 28; c. 3 in VI<sup>to</sup> II. 15.

(4) C. 2 in VI<sup>to</sup> I. 4.

(5) C. 46. C. II. q. 1.

(6) C. 11. in VI<sup>to</sup> I. 4.

7. Appellatio, ad quam faciendam in casu nihil obstat, interponenda est coram *iudice a quo*, seu coram iudice, qui sententiam tulit. Quod si ex quacumque ratione fieri nequeat, appellari potest directe coram iudice superiore (1), immo eo in casu sufficit, coram viris honestis exprimere voluntatem interponendae appellationis. Praeterea appellatio interponenda est *intra decem dies* (2), computandos a die publicatae sententiae, hinc, pro variis modis publicationis, vel a die, qua sententia a iudice in aula audientiae est publicata, vel a die, qua partes de eius publicatione in cancellaria certiores sunt factae, vel a die, qua sententia a tribunali ad eas est transmissa. Hinc in sententiis in contumaces latis tempus currit a die, qua condemnatus de sententia contra se lata a iudicio certior est factus (cfr. pag. 122). Quare praescribit citata Instructio art. XXXVIII: *Comparitio pro appellatione facienda est infra terminum decem dierum a notificatione sententiae; quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu reperitur.*

Corollari loco annotetur, appellationem quoque *extraiudicalem*, seu potius provocationem ad causam, promovendam esse intra decem dies; verum in hoc casu tempus currere incipit a die cogniti gravaminis, quamobrem gravato ignoranti decendum non decurrit (3).

Praeterea notandum, in computandis illis decem diebus comprehendi etiam *dies feriatis* (4), sive agatur de appellatione iudiciali sive de extra-iudiciali.

8. Si sententia in aula audientiae publicatur et pars huic actui iudiciali interest, appellatio statim coram iudice, ut primum is sententiam legit, *viva voce* per verbum *appello* interponi potest; quo in casu tamen factum appellationis ab actuario statim actis inseri debet. Si vero appellatio non statim post sententiam publicatam, sed ex intervallo promovetur, provocatio ad iudicem superiorem facienda est *in scriptis* intra dictum terminum decem dierum. In utroque autem casu hodie exprimi debent potissimae rationes, ob quas appellatur, necnon iudex ad quem,

(1) C. ult. X. II. 28.

(2) C. 28. C. 2. qu. 6; c. 5. 13. X. II. 28.

(3) C. 8. in VI<sup>o</sup> II. 28.

(4) C. 15. X. II. 27.

seu instantia ad quam provocatur (1). Nil tamen refert, utrum appellans in libello appellationis utatur verbo appellandi vel appellationis an voce recursus, dummodo *voluntas* appellandi clare exprimatur. Insuper notandum est, iudicem a quo cognoscere posse tantum de *externa legitimitate* appellationis, an v. g. haec legitimo tempore sit facta, nunquam vero spectare ad eum de *merito* causae appellatae decernere. Si autem agatur de appellationibus adversus sententias *interlocutorias*, ipse iudex, qui eas tulit, meritum causae appellatae cognoscere potest, et post pronuntiationem suae decisionis processum continuet.

9. *Introductio et prosecutio* appellationis in tribunali iudicis ad quem ex parte appellantis facienda est intra *triginta dies*, nisi iudex a quo ex causis rationalibus in ipso tenore sententiae vel per speciale decretum hunc terminum extenderit vel coarctaverit (2). Si appellatio interposita fuit ad Sedem Apostolicam, iudex in terris longinquioribus terminum convenienter extendit, v. g. usque ad duos menses. Ad introducendam appellationem hodierno tempore sufficit, ut appellans in scripto, quod contineat et causas appellationis, intra triginta dies provocet ad iudicem superiorem, petens ab eo, ut sententiam appellatam corrigat; praeterea ab appellante iudici superiori exhiberi debent exemplar libelli appellatorii, iudici a quo traditi, litterae dimissoriae seu « apostoli », quibus iudex a quo declarat, appellationem legitimo tempore coram ipso esse factam (3), et textus sententiae appellatae. Si acta sententiae nondum paratae sint, appellans in sua petitione id exprimere debet, et iudex ad quem ei assignet terminum, intra quem istum defectum suppleat.

Terminis legitimis inutiliter elapsis, sive appellatio intra decem dies coram iudice a quo non fuerit interposita, sive intra triginta dies coram iudice ad quem non fuerit introducta, appellans in utroque casu censetur appellationi renuntiasse (4). Idem valet de appellatione facta ad S. [Rotam, a sententiis unius turni ad alium, si appellans intra sex menses ab interposita appella-

(1) Cfr. c. 1. in VI<sup>o</sup> II. 15.

(2) C. 6. in VI<sup>o</sup> II. 15.

(3) C. 24. C. 2. qu. 6.

(4) C. 33. X. II. 28; c. 6 in VI<sup>o</sup> II. 15.

tione nullum posuerit actum iudiciale: *Si intra sex menses ab interposita appellatione, appellans nullum ponat actum iudiciale ad prosecutionem appellationis, haec perempta habebitur, et sententia fit executoria.* (Regulae servandae in iudiciis apud S. Romanae Rotae Tribunal, § 236. 2). Contra lapsum horum terminorum nullum datur remedium iuris, nisi pars probare possit, terminum sibi decurrisse absque sua culpa, quia scilicet pars ex iusta causa vel ex vi maiore ab interponenda vel prosequenda appellatione impedita fuerit.

Iudex inferior, qui appellationem recusat, appellanti tradit apostolos *refutatorios*, in quibus declarat, se appellationem non admisisse, atque simul causas exponit, ob quas appellationem putet nullam et petitionem appellantis reiiciendam (1). Si vero iudex inferior apostolos denegat aut eos non exhibet intra tempus legitimum, appellans appellationem coram tribunali superiore introducere valet *sine* apostolis.

10. Non solum pars *victa*, sed etiam pars *victrix* intra tempus legitimum appellare potest, immo etiam post lapsum termini statuti unaquaeque pars appellationi ab adversario interpositae sese *adiungere* valet, idest etiam ex parte sua contra articulos sententiae prioris instantiae appellare. Si ab una parte appellatio solum contra *unum alterumve* articulum sententiae facta est, altera pars statim adversus *alios* articulos appellare potest, etiam sub ea condicione, ut ipsa ab appellatione recessura sit, si altera quoque pars de sua desistet. Appellans, qui ex *compluribus* decisionibus, quae in una sententia iudiciali continentur, tantum aliquas *designatas* impugnat, praesumitur renuntiasse appellationi adversus ceteras; ille vero, qui *nullas* determinatas decisiones designat, praesumitur appellasse contra *omnes*. Si ex pluribus accusatoribus aut accusatis, qui consortes litis erant, *unus* tantum appellat, appellatio ab *omnibus* facta praesumitur, dummodo agatur de causa vel iure *indivisibili* aut de obligatione, quae omnibus *in solidum* incumbit.

11. Appellatio imprimis eum effectum habet, ut executio sententiae iudicis inferioris *suspendatur*, ita ut sententia interim

(1) C. 1 in VI<sup>to</sup> II. 15.

nullum producat effectum iuridicum (1). Idem valet de sententia interlocutoria iudicis inferioris, a qua accusatus appellavit, dummodo interlocutorium ad prosequendum processum sit necessarium (2), aut substantialiter influat in sententiam definitivam (3). Appellatio autem adversus sententiam, per quam religiosus a suo Superiore regulari iuxta regulas ordinis corrigitur et punitur, ex iure communi non producit effectum suspensivum (4). Neque appellationes adversus decreta Episcopi, quae occasione *visitationis canonicae* emanata sunt, aut ad *morum correctionem* spectant, executionem dispositionum suspendunt (5). Nihilominus consulendum est, Episcopum appellanti concedere terminum ad prosequendam appellationem, neque uti potestate sua, antequam terminus elapsus sit. Excipiuntur etiam *censores* (excommunicatio, suspensio, interdictum) *absolute inflictas*. Hinc Episcopus potest v. g. clericum excommunicatum, non obstante appellatione interposita, provisorio modo privare fructibus beneficii (6). Si vero agatur de appellatione adversus censuram, quam Episcopus tantum *condicionaliter* infligit, haec censura ob appellationem interpositam in suspenso manet, licet interea condicio verificetur (7).

Quaestio, in quibusnam casibus appellatio producat aut non producat effectum suspensivum, pertractata est in Constitutione Benedicti XIV « *Ad militantis* » diei 30 Martii 1742, quae iuxta art. XXXVII Instructionis diei 11 Iunii 1880 adhuc in suo robore manet. Ait enim cit. art.: *Pro appellatione servantur normae statutae a Constitutione « Ad militantis » s. m. Benedicti XIV, 30 Martii 1742, aliaeque emanatae ab hac S. Congregatione Decreto 18 Decembris 1835 et Littera circulari diei 1 Augusti 1851* (8). Iamvero secundum hanc Constitutionem appellatio non habet effectum suspensivum, si agatur:

(1) C. 10 in VI<sup>to</sup> II. 15.

(2) C. 10. X. II. 28.

(3) C. 7. 10 in VI<sup>to</sup> II. 15.

(4) C. 3. X. II. 28.

(5) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 10 de ref.; cfr. Sess. XIV. c. 4 et Sess. XXII. c. 1 de ref.

(6) C. 53. X. II. 28; c. 20. X. V. 39.

(7) C. 40. X. II. 28.

(8) Instructiones anni 1835 et 1851 non plura continent ac Instructio diei 11 Iunii 1880.

a) de celebratione missae, administratione sacramentorum, cura animarum, munere praedicationis, de cultu denique divino in genere;

b) non datur appellatio in suspensivo, si agatur in specie respectu eorum, qui parochiale beneficium non obtinent, etiam si fuerint regulares, de denegatione, revocatione, suspensione vel restrictione et limitatione facultatis audiendi confessiones, vel si agatur de cura monialium;

c) item si agatur de suspensione aut privatione officii, vel de deputatione vicariorum cum assignatione congruae pro tempore quo vacat beneficium; de censuris in concubenarios inflictis vel de privatione privilegii fori; de censuris latae vel ferendae sententiae in genere, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis; de sequestratione vel privatione fructuum respectu eorum, qui obligationem residentiae laeserunt;

d) item si agatur de deputatione vicariorum cum assignatione congruae, quoties plura beneficia curata ab aliquo obtineantur, vel generatim de deputatione vicariorum et coadiutorum; de divisione et erectione in titulum parochiarum, quae determinatos non habent fines; de administratione beneficiorum vacantium; de translatione beneficiorum simplicium ex ecclesiis collapsis; de decretis cogentibus ad restorationem ecclesiarum parochialium etc.

Verum in omnibus his casibus iudex in sententia *expressis verbis* declarare debet, appellationem, si quae interponatur, non habere effectum suspensivum, sed sententiam modo provisorio executioni esse mandandam; praeterea supponitur, parti appellanti ex eiusmodi sententia non oriri *grave damnum irreparabile*.

Alius porro effectus appellationis in eo consistit, quod tota quaestio decidenda defertur seu *devolvitur* ad iudicem superiorem, a cuius ferenda sententia dependet exitus processus. Pendente appellatione lis censetur indecisa, atque tum iudex a quo tum iudex ad quem observare debent regulam iuris: *lite pendente nihil innovetur* (1).

12. Tribunal superius, ad quod appellatum est, appellationem quam celerrime debet aut *recipere* aut tamquam illegitimam,

(1) C. 7 in VI<sup>to</sup> II. 15.

nullam, frivolam, levem vel vexatoriam per decretum iudiciale *reicere*. Iamvero recusandae sunt non solum appellationes, quae nulla rationabili causa neque ullo novo documento innituntur, et pro quibus appellans neque intra terminum congruum ei concessum aliquid grave afferre valet, sed etiam appellationes a causis indolis mere personalis, quas iudex iuxta prudens suum arbitrium minimi esse momenti iudicat, dummodo sententia tribunalis inferioris, a qua appellatum fuit, non sit manifeste iniusta. Adversus decretum iudicis superioris, per quod appellatio reicitur, nullum aliud datur remedium iuris nisi querela nullitatis.

13. Iudex superior, postquam examinavit suam competentiam et decrevit materialem et formalem legitimitatem appellationis, seu postquam cognovit, agi de causa appellabili, in qua proponenda formalitates praescriptae fuerunt observatae, instituere debet *proceduram principalem*. Iuxta prudens suum arbitrium exigit a tribunali inferiore, ut sibi statim vel in decursu processus tradantur omnia acta processualia, sive in originali, sive in copia authentica expensis appellantis aut ex officio confecta (1). Tribunal autem inferius, quod huic requisitioni satisfacere debet, acta processualia potest vel tradere ipsi appellanti, vel, quod magis opportunum est, transmittere directe ad tribunal superius. Instructio enim diei 11 Iunii 1880 art. XXXIX praescribit: *Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnes actus causae originales, i. e. processum, restrictum, defensiones et sententiam*. Tridentinum (2) autem statuit, acta processualia *intra mensem* esse transmittenda. Absoluto processu in gradu appellationis, acta originalia tribunali inferiori restitui debent (3).

14. Quoad *constitutionem* tribunalis superioris et *modum procedendi* in gradu appellationis valent eadem regulae, quae a iure pro tribunalibus primae instantiae praescribuntur, congrua congruis referendo. Ipsa procedura est aut *ordinaria* (quae tamen vixdum in usu est) aut *summaria*, prout in antecedente instantia prior vel altera fuit adhibita.

(1) C. 11. X. II. 19.

(2) Sess. XXIV. c. 20 de ref.

(3) Decret. S. Congr. Epp. et Reg. diei 18 Dec. 1835, art. XIII.

15. Nisi appellans id iam sponte fecerit, iudex superior imprimis eum monet, ut sibi constituat defensorem ab ipso approbandum. Hinc praescribit Instructio art. XL: *Auctoritas ecclesiastica superior, capta cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti, ut infra terminum viginti dierum defensorem constituat, qui approbari debet ab eadem superiore auctoritate.* Hanc approbationem non requiri, si iam semel in perpetuum data fuerit, per se patet. In casu probatae paupertatis constituitur defensor ex officio. Si appellans terminum viginti dierum inutiliter elabi patiatur, quin afferat causam excusantem, tribunal appellationis praesumit, eum renuntiasse appellationi (art. XLI cit. Instr.).

16. Quodsi appellans mandato paret et defensorem constituit, statim proceditur ad proprie dictam tractationem causae. Procedura quidem, uti iam diximus, eadem est ac in prima instantia, at secundum praescriptionem Instructionis servari debent normae statutae a constitutione Benedicti XIV « *Ad militantis* » diei 30 Martii 1742, Decreto S. Congr. Epp. et Reg. diei 18 Decembris 1835 et Littera circulari diei 1 Augusti 1851. Causa autem tractatur tum quoad factum, tum quoad ius. Universa tamen probatio innititur actis prioris instantiae. Quae acta si apparent insufficientia ad gignendam certam persuasionem in iudice superiore, appellans iubetur, novum libellum ad iustificandam appellationem exhibere (1). Iste libellus deinde notificatur parti adversae, quae exceptiones suas opponere potest, quo facto appellans quoque ius habet replicandi. Utrique parti quidem integrum est, producere novas probationes et exceptiones, at partes prohibentur proponere novum obiectum litis. Quocirca neque capita accusationis de novo constituuntur, sed quaevis actio iudicis appellationis nil aliud intendit quam priorem sententiam iudicalem vel confirmare vel corrigere vel declarare nullam. Iudex autem superior ea omnia disponere potest, quae ad acquirendum iudicium de priore sententia necessaria arbitretur. Ipse vero decidere debet non solum causam principalem, sed etiam accessoria seu omnes quaestiones incidentes (2). Cum

(1) C. 70. X. II. 28.

(2) C. 55. X. II. 28.

processus in gradu appellationis, uti supra (pag. 15) iam diximus, ordinarie intra annum (1) a die interpositae appellationis terminari debeat, iudicis vel tribunalis est, servatis regulis processualibus, omnia ita disponere, ut terminus a lege determinatus non excedatur. In processibus tamen difficilioribus est in potestate iudicis, partibus praefigere terminum, intra quem probationes et exceptiones suas afferre debeant; insuper ipsis partibus integrum est, de termino diuturniore inter se convenire (2). Tempus autem anni non decurrit illi, qui a prosecutione appellationis legitime impeditus est (3). Per se patet, appellanti neque tunc elapsus termini nocere, si id culpa iudicis factum sit. Quaestionem, an terminus *cum* culpa appellantis aut *sine* eius culpa elapsus sit, decidere est iudicis *ad quem*, si is causae appellationis manus iam apposuit, iudicis *a quo*, si appellans suam appellationem in tribunali superiore nondum introduxit (4). *Forma* vero sententiae est mutatis mutandis eadem ac in prima instantia. Si denique sententia tribunalis inferioris, ob *substantiales* defectus ordinis iudicarii, in gradu appellationis *invalida* declaretur, causa remittitur tribunali primae instantiae, ut ibi denuo cognoscatur et definiatur.

17. Adversus sententiam, quam tulit iudex ab *Apostolica Sede delegatus* cum clausula hodie admodum rara: *appellatione remota*, solum *recursus* ad ipsum Romanum Pontificem interponi potest, servatis terminis pro appellatione constitutis aliisque praescriptis huc spectantibus. At talis *recursus* non habet effectum suspensivum, sed tantum devolutivum. Adversus sententiam ab ipsa *Apostolica Sede* prolatam nullum aliud remedium datur nisi *beneficium novae audientiae* intra decem dies a die habitae notitiae implorandum, idest adduci possunt rationes, ob quas a Romano Pontifice petitur nova examinatio causae (cfr. pag. 138 sq.).

#### CAPUT SECUNDUM. — *De extraordinario remedio querelae nullitatis.*

1. Contra sententiam iudicalem, quae non solum iniusta, sed etiam invalida et nulla est, tum pars victa, tum promotor

(1) C. 5. X. II. 28.

(2) C. 5. X. II. 28; c. 3 in Clem. II. 12.

(3) C. 8. X. II. 28; c. 5 in Clem. II. 12.

(4) C. 27, X. II. 28; c. 4 in Clem. II. 12.



iustitiae interponere potest *querelam nullitatis*. Sententia autem est nulla vel invalida:

a) si lata est a iudice *absolute incompetente* (cfr. pag. 9);

b) si in iudicio collegiali *legitimus numerus* iudicum defecit (cfr. pag. 15);

c) si sententia innititur manifesto errore facti vel iuris;

d) si in modo procedendi aliqua substantialis regula ordinis iudiciarii laesa est, si v. g. accusato non data fuit copia defensionis;

e) si sententia caret subscriptionibus praescriptis aut aliis substantialibus formalitatibus (cfr. pag. 117).

2. Querela nullitatis habet effectum *suspensivum*, nisi iam tres sententiae conformes latae sint (1). Ob *absolutam incompetentiam* iudicis querela nullitatis semper et in quolibet stadio processus interponi potest, immo id fieri debet, etiam ex officio (cfr. pag. 9). Querela nullitatis, quae ex aliis causis opponitur, proponi potest aut *cumulatim* cum appellatione, si quae in causa admittatur, aut *principaliter* et per se *sola* seu absque remedio appellationis.

In priore casu querela nullitatis proponi debet apud competentem tribunal appellationis, cuius deinde est, super querela interposita pronuntiare iuxta normas praescriptas pro processu in gradu appellationis. Parti, quae intra terminum legitimum appellationem interposuit, adhuc integrum est, opponere insuper querelam nullitatis.

In altero casu querela nullitatis proponenda est apud tribunal, quod sententiam protulit, ibique tractatur iuxta communes normas processuales, nisi agatur de querelis nullitatis contra sententias rotales, quoniam istae querelae decidi debent a Signatura Apostolica (cfr. pag. 26).

Si *idem* iudex, qui protulit sententiam invalidam, assignatur ad diiudicandam querelam nullitatis, pars potest talem iudicem intra legitimum terminum recusare per exceptionem suspicionis et petere, ut apud idem tribunal alius iudex deputetur (cfr. p. 9).

3. Si tribunal inferius, quod sententiam impugnatam protulit, querelam nullitatis reiicit, actor adire potest instantiam

(1) C. 1 in Clem. II. 11.

*superiorem*. Instantia autem superior in casu, quo et ipsa querelam nullitatis reiicit, nequit *corrigere* sententiam instantiae inferioris, cum reiectio eo ipso comprehendat *approbationem* sententiae latae in priore gradu; solum tunc hanc sententiam corrigere valet, si querela nullitatis ab ipsa fuit admissa, seu si sententia declarata fuit nulla.

CAPUT TERTIUM. — *De extraordinario remedio restitutionis in integrum.*

1. Aliud extraordinarium remedium iuris contra sententias iudiciales, quae in rem iudicatam transierunt, est *restitutio in integrum*. Haec autem consistit in eo, quod ob rationes aequitatis effectus sententiae exequendae cum omnibus suis sequelis per declarationem iudicalem omnino tolluntur et res reducit in eum statum, in quo fuerat ante processum.

2. Hoc tamen remedium iuris contra aliquam sententiam iudicalem a parte, quae se laesam existimat, tunc tantum invocari potest, si aliud remedium iuris, scilicet appellatio vel querela nullitatis, non superest. Restitutio in integrum porro est petenda intra *quadriennium* a die factae laesionis.

3. Ad obtinendam restitutionem in integrum pars laesa *petitionem scripto exaratam* exhibere debet. Quodsi dubitetur, an sententia lata valida sit, querela nullitatis et petitio restitutionis in integrum *cumulative* et *subordinate* proponi possunt, ut scilicet iudex vel sententiam declaret nullam vel rem reducat in pristinum statum; quare hoc in casu tribunal, cuius est videre de querela nullitatis, etiam decernere debet, utrum restitutio in integrum sit concedenda, necne. Si vero restitutio in integrum *principaliter* seu per se *sola* petitur, iuxta hodiernam praxim petitio semper dirigi debet ad Sedem Apostolicam, quae dein cognitionem et decisionem rei Sacrae Rotae committere solet (cfr. pag. 23).

4. Ad concedendam restitutionem in integrum necessario requiritur *primo*, ut petens graviter sit laesus, *secundo*, ut iudex circa hanc laesionem inquisitionem instituat, *tertio*, ut adsit iusta causa. Iusta autem causa in condemnato tunc adest, si in processu aliquis error probabilis intercesserit, vel si contra eum dolus aut vis adhibita fuerit, vel si ob legitimum impedimentum

damnum passus sit, si v. g. ob legitimam absentiam sese non potuerit personaliter defendere, vel si defensor causam sui clientis perfide proderit aut deseruerit, vel si resultaverit, documenta quibus innitebatur sententia esse falsificata, vel generatim, si condemnatus novas et graves probationes suae innocentiae afferre valeat.

5. Ad effectus petita<sup>e</sup> restitutionis in integrum quod attinet, suspenditur sententiae executio, nisi adsit suspicio fundata, quod petitio tantum executionis differendae causa facta sit; quo in casu sententia executioni mandari potest, praestita tamen cautione idonea de compensando damno, si petenti concedatur restitutio in integrum. Effectus impetratae restitutionis in integrum est, ut laesus reducatur in statum quo erat ante processum, ita ut causa sua denuo tractari debeat ab eadem instantia, quae priorem sententiam tulit.

6. Restitutio in integrum pro singulis causis *semel* tantum peti potest, nisi exurgant *novae* causae, ob quas iterum implore-  
retur. A decreto iudicis inferioris, quod petitam restitutionem denegat, appellari potest ad Sedem Apostolicam. Sicuti de petitione restitutionis in integrum adversus sententiam iudicum inferiorum decedit Sacra Rota, ita de expostulatione pro restitutione in integrum adversus sententiam rotalem, quae in rem iudicatam transierit, videt Signatura Apostolica. Hoc in casu tamen ad postulandam restitutionem in integrum dantur dumtaxat tres menses utiles a reperto documento aut a cognita causa, ob quam ad hoc remedium recursus fieri potest. Ipsa autem expostulatio ad Signaturam pro restitutione in integrum non suspendit rei iudicatae executionem; nihilominus ad instantiam partis recurrentis Signatura potest, incidentaliter sententia, inhibitionem executionis iubere, aut obligare partem victricem ad congruam cautionem praestandam pro restitutione in integrum (1).

CAPUT QUARTUM. — *De revisione sententiae per Romanum Pontificem.*

1. Ultimum extraordinarium remedium iuris contra aliquam sententiam est *supplicatio* seu *retractatio*, quae in eo consistit,

(1) Cfr. cit. Const. « *Sapienti consilio* ».

quod gravatus immediate a Romano Pontifice, utpote iudice supremo, impleret *beneficium novae audientiae* seu recognitionem alicuius causae, a tribunalibus romanis, scilicet a Sacra Rota vel a Signatura Apostolica, decisae, adversus quam neque appellatio, neque querela nullitatis, neque petitio restitutionis in integrum proponi potest.

2. Ad istud beneficium concedendum secundum art. XIV Decreti diei 18 Decembris 1835. cuius iam saepius fecimus mentionem, haec requiruntur: *Revisio seu recognitio rei iudicatae non conceditur, nisi eius tribuendae potestas a Sanctitate Sua facta fuerit et subsint gravissimae causae, super quibus cognitio et iudicium ad plenam Congregationem pertinent.* Recognitio seu revisio in eadem causa *semel* tantum peti potest (1). Petitio ipsa *non suspendit* executionem sententiae; si vero fit intra *decendum* a die latae sententiae, executio sententiae suspendi potest (2). Romanus Pontifex autem revisionem rei iudicatae non concedit nisi ex gravissimis causis et non nisi quoad sententias a tribunalibus romanis in ultima instantia latas, nunquam vero quoad *suas* decisiones, *immediate* ab ipso pronuntiatas. Libellus petitionis dirigi debet ad ipsum Romanum Pontificem, qui decisionem sibi reservat, licet Signaturam Apostolicam deputare soleat ad videndum et iudicandum super causis petitionis (3).

3. Hoc loco etiam *abolitionis causae criminalis* mentio facienda est (4). Distinguitur autem triplex abolitio, videlicet abolitio procedurae criminalis *nondum instauratae*, abolitio procedurae criminalis iam *introducatae*, et abolitio *poenae iudicialiter inflictatae*.

Ad primam speciem quod attinet, ius abolendi proceduram *nondum instauratam* seu desistendi ab inquisitione generali seu extraiudiciali competit *Episcopo*; quare Episcopus abstinere potest ab instituendo processu seu iubere promotori iustitiae vel iudici delegato, ut abrumpat inquisitionem extraiudicialem et desistat a prosecutione causae.

(1) L. 5. C. de pr. 1, 19.

(2) Nov. 119. c. 5.

(3) Cfr. cit. Const. « *Sapienti consilio* ».

(4) C. 8. C. 2 qu. 3.

Aliter dicendum, si agitur de causa iam *introduc*t<sup>a</sup>. Etenim accusatione promot<sup>a</sup> iudex quasi ligatur et tenetur erga iustitiam, erga societatem et erga ipsum accusatum. Accusatus praesertim habet *ius* postulandi, ut processus prosequatur, ne scilicet privetur facultate iudicialiter probandi suam innocentiam. Immo accusatus non raro ex iure naturali prohibetur, quominus abolitioni consentiat; sacerdos v. g. tali modo nequit renuntiare suae famae, qua si careat, utile ministerium gerere non potest. Si vero bonum publicum id expostulat, licet desistere a prosecutione procedur<sup>a</sup>e criminalis. Solus Romanus Pontifex, sive consentiente, sive dissentiente accusato, processum in quocumque stadio valet abolere, id quod praesertim tunc obtinet, si bonum Ecclesiae abolitionem exigit.

Si denique agitur de abolitione *poenae inflict*a<sup>e</sup>, regula generalis est, solum illum posse poenam tollere, qui sit *supra legem*, quia poenae, cum a iudice *iuxta legem* irrogari debeant, magis sunt consequentiae seu effectus legis quam sententiae. Hinc ius abolendi poenas ex iure communi inflictas soli Romano Pontifici plene competit. Cum vero poenae ecclesiasticae delinquentis emendationem intendant, Episcopus quoque poenam medicinalem seu disciplinarem a iudice secundum legem inflictam, post transitum sententiae in rem iudicatam, ex causis gravibus, dummodo iustitiae satis factum sit, saltem commutare potest in levio<sup>r</sup>em (1), quoties scilicet id prosit delinquenti, nisi agatur de poenis ab ipsa *lege* statutis, quoniam Episcopus, culpa accusati probata, hasce poenas infligere vel inflictas exequi *debet*.

## SECTIO QUARTA.

### De executione sententiae.

1. Sententia condemnatoria prolata et publicata nullum haberet valorem, nisi *executioni mandaretur*. Executio autem tunc tantum locum habere potest, postquam sententia transiit in *rem iudicatam*. Sententiae, a quibus appellari nequit, *statim* transeunt

(1) S. Congr. Epp. et Reg. 26 Iul. 1854.

in rem iudicatam, aliae vero sententiae nonnisi post *decendum* (cfr. pag. 124), quo elapso eadem causa nequit iterum deduci in iudicium. Sententia, quae transiit in rem iudicatam, si opus sit, adversus reluctantem *vi* executioni potest mandari. Nullus iudicis interventus requiritur in sententiis *absolutorii*s, neque in illis sententiis *condemnatoriis*, quibus condemnatus *sponte* et *voluntarie* sese subiicit, idest si condemnatus poenas inflictas illico subit. Idem valet de sententiis, quibus irrogantur *cen*surae, quia hae tunc incurruntur, cum infliguntur. Immo censurae *latae* sententiae, necnon censurae a iudice comminatae seu *condicionaliter* inflictae statim incurruntur, cum factum crimin<sup>o</sup>s<sup>u</sup>m, actione positiva vel negativa, ponitur, etsi pro foro externo requiratur sententia *de*claratoria iudicis (cfr. pag. 119).

2. Iudex in ipsa sententia exprimere debet, eam executioni esse mandandam. Ipsa autem executio non spectat ad iudicem *delegatum* (1), nisi sit delegatus a *Romano Pontifice* (2), quo in casu tamen iudex sententiam potest exequi etiam per Episcopum loci (3), sed ad *Ordinarium loci*, in cuius dioecesi sententia in prima instantia prolata est. Is vero iam in mandato delegationis iudici delegato vel alicui tertio etiam executionem sententiae committere potest. Quodsi Ordinarius recusat, sententiam per se aut per delegatum executioni mandare, sententia exequenda est vel ad instantiam promotoris iustitiae, cuius interest, vel, si agatur de sententia in gradu appellationis, ex officio a *Metro*politano vel ab Ordinario illius loci, in quo causa in instantia appellationis est tractata. Ordinarie tamen executio sententiae in gradu appellationis latae secundum Instructionem S. Congr. Epp. et Reg. diei 18 Decembris 1835 facienda est a *iudice primae instantiae*, nisi obstant speciales rationes. Ait enim citatum Decretum: *Prolata sententia una cum omnibus actis causae ad eandem Curiam episcopalem remittitur, ut eam exequatur*.

3. Non spectat ad *executorem*, cognoscere de *merito* causae, sed omnia perficere debet iuxta tenorem sententiae, nisi expressis verbis aliquid eius arbitrio remissum sit. Sententiam autem *ma*

(1) C. 4. X. H. 2; c. 5. 33. X. I. 29.

(2) C. 26. 28. X. I. 29.

(3) C. 7. 25. X. I. 29.

*nifeste* iniustam executor non potest executioni mandare, sed vel partem, cuius interest, remittat ad iudicem competentem, vel iudici mandatum executionis restituat una cum scripto, quo exponat causas, ob quas sententiam exequi sibi non liceat.

4. In actionibus *realibus* res, v. g. beneficium, actori adjudicata *statim* post elapsam decem annorum tradi debet. In actionibus *personalibus* tempus condemnato ad debitum praestandum vel ad obligationem implendam a iure concessum est *quadrimestre*, quem terminum tamen iudex contrahere aut prorogare potest (1). Terminum inutiliter elapso, adversus reluctantem locum habere debet executio *realis* in eius bonis temporalibus, qua in re tamen cavendum est, ut reo, quoad fieri possit, parcatur. Si agatur de clericis, praesertim curari debet, ut eis relinquatur tot proventus, quot requiruntur ad sufficientem et congruam sustentationem.

5. Quoad *modum* observandum in exequenda sententia adversus reluctantes ius praescribit, ut praemittantur *monitiones* et *praecepta*. Poenae ecclesiasticae, velut *cenurae*, in casu necessitatis dumtaxat adhibendae sunt, et quidem etiam tunc nonnisi *gradatim* atque in unicum finem, ut frangatur inobedientia rei. An in adiunctis specialibus *brachium saeculare* in auxilium vocandum sit, pendet a circumstantiis singularum regionum, at in quolibet casu id hodie nonnisi *ultimum* refugium esse debet, si nempe extrema necessitas iudicem ecclesiasticum ad id cogat et compellat.

6. Ab executione sententiae qua tali appellari nequit, at contra admittitur appellatio adversus *modum* executionis et adversus executores, qui potestatem suam *excedit*.

7. De executione singularum poenarum in specie haec dicenda sunt. Poenae vindicativae *latae* sententiae simili modo ac *cenurae* statim pro foro externo incurruntur, cum iudex declarat, eas esse incursum. Poena privationis sepulturae ecclesiasticae mera eius omissione applicatur. Suspendio, translatio per modum poenae, privatio beneficii et depositio cum inhabilitate ad nova officia acquirenda effectum suum sortiuntur simul ac sententia lata est. Inobedientia condemnati habetur pro continuo delicto, quod quan-

(1) C. 15. X. II. 27; c. 26. X. I. 29.

doque alias poenas, v. g. irregularitatem, post se trahit. Ceterum omnes poenae infamantes ipso iure secumferunt irregularitatem. Poenae degradationis *realis* (1), exilii et castigationis nostris temporibus non amplius irrogantur, praesertim cum hodie executioni mandari nequeant. Muletiae pecuniariae, quae non sponte solvuntur, exiguntur per executionem realem in bonis condemnati, qua in re tamen, uti supra iam diximus, reo, quoad fieri potest, parcendum est. Poenae incarcerationis hodie nonnisi per reclusionem in monasteria vel in domus correctionis, sive ad determinatum tempus, sive in perpetuum, executioni mandari possunt. Per se patet, tempore reclusionis victum praebendum esse iis, qui hoc modo libertate sunt privati. Etiam clerico, qui in amissione omnium suorum proventuum condemnatur, congrua pensio, ordinarie titulus ordinationis, relinqui debet, quantumcumque eius delictum sit. Solum is, qui in *contumaciam* fuit condemnatus, amittit quodvis ius ad victum, quousque non se sistat iudici ecclesiastico. Item suspenso a beneficio aliqua pensio praereri debet, etiamsi causa adhuc pendeat in instantia appellationis. Qua in instantia si absolvetur, accusatus exigere poterit, ut sibi omnia damna passa resarciantur (2).

## SECTIO QUINTA.

### De expensis iudicialibus necnon de gratuito patrocinio.

1. Ad expensas iudiciales quod attinet, regula generalis est, omnes expensas solvendas esse ab *accusato condemnato*. Si accusatus *absolvitur*, expensae solvendae sunt ab *arca episcopali*; idem obtinet quoad expensas processus informativi, si *nulla* procedura iudicialis contra inquisitum instituitur. Quodsi accusatus solummodo de *aliquibus* capitibus accusationis convictus et condemnatus est, potest iudex iuxta prudens suum arbitrium expensas

(1) Conc. Trid. Sess. XIII. c. 4 de ref.

(2) *Droste*, Kirchliches Disziplinar und Kriminalverfahren gegen Geistliche, 1882, p. 155 sq.

solvendae accusato et arcae episcopali *pro rata* imponere. Condemnatio in expensis earumque determinatio in ipsa *sententia* a iudice fieri debent; quod si fuerit omissum, speciali *decreto* faciendum est. Expensae autem iudiciales non ipso iure complectuntur *salaria advocatorum*, quum haec in quolibet casu ab ipso accusato solvenda sint. Si vero manifestum est, causam *temere* et absque ullo fundamento culpaee accusati in iudicium deductam fuisse, iudex denuntiantem vel arcam episcopalem condemnare potest etiam in expensis, quas accusatus pro suo avvocato fecit, immo generatim in restitutione omnium damnorum, quae accusatus per processum passus sit, quemadmodum expressis verbis praescribitur in duobus Decretis S. Congr. Epp. et Reg. diei 13 Septembris 1817 et mensis Martii 1821. Si qui condemnantur in expensis sint *plures*, nequeunt considerari tamquam in solidum damnati, sed dumtaxat *pro rata*, dummodo non agatur de obligationibus solidalibus. A condemnatione in expensis nequit fieri *appellatio*, nihilominus condemnatus, qui se gravatum existimat, intra decem dies potest *recurrere* ad eundem iudicem; is autem sententiam quoad condemnationem in expensis potest mutare vel corrigere, si ex novo examine instituto id opportunum censeat. Quoties instauratio alicuius processus videtur *temeraria* aut omni fundamento destituta, secundum art. VIII Decreti S. Congr. Epp. et Reg. anni 1900 potest exigi *cautio* seu *depositum*, ex quo expensae solvi possunt.

2. *Pauperes* vero non solum ius habent, ut ab expensis sint *immunes*, sed etiam, ut ipsis praebeatur *patrocinium gratuitum*. Iudex enim pauperibus ex advocatis a tribunali approbatis aliquem assignare debet, qui patrocinium denegare nequit nisi ex causa a iudice admissa et approbata. Si apud tribunal advocati approbati deficiant, iudex roget Ordinarium loci, ut designet idoneam quandam personam, in casu necessitatis quemcumque sacerdotem, qui patrocinium pauperi praebeat. Illi pauperes, qui non sunt *vere* pauperes et nihilominus *ordinarias* expensas solvere nequeunt, ius habent ad *reductionem* expensarum. Is tamen, qui sibi vindicat exemptionem aut reductionem expensarum iudicialium, iudici exhibere debet *petitionem scripto confectam* una cum authenticis documentis circa suam condicionem. Praeterea demonstrare debet, se habere causam iustam litigandi neque ausu

temerario iudicem adire, ut causam suam cognoscat et decidat. Iudex antequam petitionem admittat, audiat, si fieri possit, promotorem iustitiae, vel etiam ipse in condicionem petentis secreto inquirere potest. Contra decretum iudicis, quod executionem aut reductionem expensarum iudicialium *denegat*, nullum datur remedium iuris. Si a iudice *reductio* tantum expensarum iudicialium concessa fuerit, in eiusmodi decreto saltem in genere *limites* statui debent, intra quos reductio concedi potest. Ceteroquin iudex ecclesiasticus in concedenda exemptione ab expensis sit *benevolus*, cum ius dicere sit *officium* auctoritatis ecclesiasticae.

3. Expensae iudiciales non sunt solvendae, priusquam sententia transierit in rem iudicatam, dummodo appellatio interposita habeat effectum suspensivum. Quae expensae si a condemnato solvi nequeant, praestandae sunt ab arca episcopali.



## LIBER TERTIUS.

### De extraordinariis proceduris

---

#### TITULUS PRIMUS.

##### De procedura in causis haeresis.

1. Episcopus, cum ei uti inquisitori nato incumbat vigilantia super integritate fidei, debet praecavere, ne pestis doctrinae haereticae in dioecesim suam introducatur aut ibi divulgetur, et attendere, ut divulgata eradicetur. Immo uti Sedis Apostolicae delegatus in causis haeresis procedere valet etiam contra eos, qui a iurisdictione episcopali exempti sunt (1). Nullus quidem haereticus puniri potest absque procedura *iudiciali*, sed processus celeriter absolvitur, cum procedura *summaria* adhiberi possit secundum verba Bonifatii VIII: *Concedimus, quod in inquisitionis haereticae pravitatis negotio procedi possit simpliciter et de plano* (2).

2. Quare qui de haeresi accusatus vel denuntiatus est, sub poena nullitatis totius procedurae imprimis debet *citari*, eique concedenda est copia *defensionis*; insuper integrum est ei, sibi constituere defensorem vel advocatum.

*Probatio delicti* fieri potest vel per rei *scripta*, quae haeticam pravitatem continent, vel per *testes*, qui audierunt doctrinam

---

(1) C. 7. X. V. 9.

(2) C. 20 in VI<sup>o</sup> V. II.



haereticam publice prolatam. Non tamen requiritur, ut testium nomina accusato manifestentur, si ex revelatione damna pro testibus timenda sint, vel ob alias causas rationabiles necessarium vel opportunum sit, nomina reticere. Condemnatio autem accusati locum habere nequit, nisi prius audiantur *theologi* utpote periti.

3. Si de crimine haeresis revera *constet*, poenae canonicae cum suis sequelis, v. g. privationis beneficii pro clericis, infliguntur vel eas incursas esse declaratur. Patet autem, nonnisi haereticum *formalem* puniri posse; nam haereticus *materialis*, qui abiurationis actum posuit, poenas effugit. At consulitur Episcopo, ut ipsis haereticis *formalibus*, qui se converterunt et publice haereticam pravitatem abiuraverunt, pro diversitate casuum puniat dumtaxat poenitentis salutaribus. Etenim poenis ecclesiasticis proceditur solum contra haereticos *pertinaces*.

Ei qui accusatur, quod de haeresi solummodo *suspectus* sit, potest deferri iuramentum purgatorium, si aliter innocentiam suam probare nequeat; qui vero iuramentum praestare recusat, aestimabitur et tractabitur uti verus haereticus (cfr. pag. 84).

4. Episcopi autem, licet in rebus haeresis sint inquisitores et iudices nati, munus suum *cumulative* cum S. Officio exercent. Hinc etiam Congregatio Sancti Officii, cuius Praefectus est ipse Summus Pontifex, ordinariam habet potestatem iudicalem procedendi contra haereticos. Inter officiales S. Officii primum locum obtinet *Assessor*, ex clero saeculari assumendus, cuius est, communia negotia huius S. Congregationis moderari. Causae vero *maiores*, quae per relationem scripto confectam vel typis editam proponuntur, in conventu Cardinalium referuntur a Cardinali Secretario. Secundus officialis est *Commissarius* tribunalis, eligendus ex ordine Praedicatorum, cui incumbit moderari negotia *iudicialia* via processuali expedienda. Est quasi iudex instructor et adiuvatur a duobus *Sociis*, item ex ordine Praedicatorum sumendis; non raro tamen instructio processus committitur Ordinariis locorum. Quoties tribunal S. Officii de causis criminalibus haeresis cognoscit, interest etiam *Advocatus* seu Procurator *fiscalis*, qui instructiones conficit, quas Episcopi in instruendis causis servare debent. Quamvis quisque reus ius habeat eligendi defensorem, tamen habetur officialis *Advocatus reorum*, ut patrocinium praebeat illis reis, qui defensorem sibi constituere noluerint aut non potuerint.

Acta exarantur a *Notario*, qui a duobus *Substitutis* adiuvatur. Inter officiales adnumerandus est denique *Summist*a, cui incumbit conficere restrictum processus, videlicet compendiarium expositionem causae quoad factum et ius. Cum apud S. Officium semper tractentur quaestiones difficillimae, fidem nempe et mores respicientes, habentur etiam complures *Consultores* ex clero saeculari et regulari.

5. Antequam petatur a Summo Pontifice, ut ferat sententiam definitivam, habetur *Congressus*, cui intersunt Assessor, Commissarius, Procurator fiscalis, Primus Socius et Notarius vel unus ex eius Substitutis. In hoc autem Congressu praeparatur negotiorum expeditio et ordinantur quae pertinent ad eorundem instructionem, velut exostulantur ab Episcopis informationes vel nova acta. Deinde habentur duo alii conventus. Horum unus est praeparatorius et vocatur *Congregatio Consultorum*; huic intersunt Assessor, Commissarius, Consultores, Advocatus fiscalis et Summist'a tamquam actuarius. In hoc congressu leguntur acta processualia, relationes Ordinariorum locorum, etc. et habentur deliberationes de votis Consultorum, postea proponendae Cardinalibus. In *Congregatione Cardinalium* Assessor viva voce referre debet de actis et deliberatis in Congregatione Consultorum; ea autem, quae in hac secunda Congregatione deliberantur et deciduntur, ab Assessore ad Summum Pontificem obtinendae approbationis causa referuntur, nisi iam Congregatio ipsa coram Sanctissimo habita sit. Omnes qui negotiis S. Officii intersunt, scilicet Cardinales, Officiales et Consultores, iuramentum praestare debent de secreto servando super omnibus actis et deliberatis. Episcopi quoque, si qui inquisitioni instituendae intersint, tenentur ad idem secretum. S. Officium, ut tribunal, competens est in omnibus causis haeresis, schismatis, apostasiae a fide, magiae, sortilegii, divinationis ex somniis et abusus sacramentorum, in quantum delictum grave constituunt et suspicionem de haeresi ingerunt (1). Eius decisiones in rebus criminalibus vim habent sententiae *iudicialis*.

6. *Procedura* qua talis in rebus haeresis est mere *inquisitoria* et consequenter maxime secreta, licet reo, uti iam diximus,

(1) Pii X. Const. « *Sapienti consilio* » 29 Iun. 1908.

nequaquam praecludatur via defensionis. Raro tantum proceditur *ex officio*, sed fere semper ex praevia *denuntiatione* Ordinariorum locorum aliorumve magistratuum vel etiam alicuius personae privatae. In excipiendis tamen denuntiationibus S. Officium magnam adhibet circumspeditionem, adeo ut post primam et secundam denuntiationem Episcopo rescribere soleat: *Observetur*, et ut plurimum nonnisi post tertiam denuntiationem processum instituat. Formula ergo *Observetur*, etsi propria sit processus in causis sollicitationis, adhibetur etiam in aliis rebus criminalibus. Ex *prima* denuntiatione tunc tantum proceditur, si haec innitatur tam gravibus rationibus, ut statim in accusatum poenis animadverti debeat. Reus qui iam *ante denuntiationem* sincere veritatem fatetur, caritate paterna reprehenditur et poenitentis salutaribus plectitur; qui vero demum *post denuntiationem* delictum suum confitetur, poenas quidem non effugit, tamen mitius punitur, dummodo confessio *ante citationem* prolata sit. Confessio enim *post citationem* facta non impedit prosecutionem processus usque ad sententiam definitivam.

7. In ipso processu statuuntur imprimis capita accusationis, deinde reo conceditur facultas opponendi exceptiones seu articulos defensionis. Reus qui exceptiones suas plene *probare* non valet, condemnatur quidem uti convictus de crimine, punitur tamen poenis mitioribus et salutarioribus. Inquisitio accurate quidem et sedulo perficitur, at nomina denuntiantium et testium non publicantur, sed solummodo eius depositiones manifestantur, ne scilicet inquisitus privetur facultate defensionis. Modus proinde procedendi S. Officii tam mitis et benignus est, ut praeiudicia circa eundem divulgata intelligi nequeant.

8. Proprium proceduræ S. Officii est, quod reus, si clericus sit, ab incepto vel constituto examine sit ipso facto suspensus a divinis. Iuridice quidem non constat, an etiam Episcopus teneatur hanc regulam servare, sed in praxi praestat eam sequi ex iisdem rationibus, ob quas statuta est apud S. Officium. Ad praecavenda tamen scandala et ad evitandam divulgationem delicti non raro consultius est, Episcopum ab infligenda suspensione in inquisitum abstinere.

9. Multiplices *poenae* in haereticos statuta inspicere possunt

in Corpore iuris canonici (1). Hoc loco quoad unam tantum poenam quaedam notemus. In c. 9. X. V. 7 enim dicitur de clerico in haeresi deprehenso, quod: *totius ecclesiastici ordinis praerogativa nudetur, et sic omni officio et beneficio spoliatus ecclesiastico, saecularis relinquatur arbitrio potestatis, animadversione debita puniendus*. Iamvero antiqui auctores disputarunt, utrum haec poena privationis beneficii incurratur *ipso facto*, an *post sententiam iudicalem* (2). Sed ob dispositiones legum posteriorum res non amplius est dubia. In Constitutione Nicolai III « *Noverit universitas* » diei 5 Martii 1280 v. g. dicitur: « *Haeretici autem.... ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium admittantur; quod si secus autem fuerit, decernimus irritum et inane; nos enim praedictos ex nunc privamus beneficiis, volentes ut tales et habitu perpetuo careant, ad similia nequaquam in posterum admittantur* ». Atqui verba *ex nunc privamus* aequivalent vocibus *ipso iure*, uti docent Suarez (3) aliique canonistae. Idem ait etiam clarius Paulus IV in Constitutione « *Cum ex apostolatus* » diei 15 Februarii 1559, ubi post confirmatas poenas a suis praedecessoribus in haereticos statutas expressis verbis dicit: « *qui ipsos sic deprehensos aut confessos vel convictos scienter quomodocumque receptare vel defendere aut eis favere vel credere, seu eorum dogmata dogmatizare praesumerint.... clerici omnibus et singulis.... officiis et beneficiis ecclesiasticis.... privati existant eo ipso* » Hinc dubitari nequit, quin clerici ob crimen haeresis ipso facto beneficiis suis priventur (4).

## TITULUS SECUNDUS.

### De procedura in causis sollicitationis.

1. Pro suspectis de haeresi habentur etiam illi, qui nefas crimen *sollicitationis ad turpia in confessione sacramentali* com-

(1) C. 7. sq. X. V. 7; c. 1. sq. in VI<sup>to</sup> V. 2.

(2) Cfr. *Barbosa*, De off. et potest. Episc. P. III. alleg. 57. n. 228; *Leuren*, Forum Benef. P. III. qu. 228.

(3) De Leg. L. V. c. 7. n. 7.

(4) *Gennari*, Sulla privazione del beneficio eccles., ed. 2. p. 23.

mittunt. Iam Pius IV (1) et praesertim Gregorius XV (2) in sacerdotibus sollicitantes gravibus poenis animadverterunt. Ius vigen innititur Constitutione Benedicti XIV « *Sacramentum poenitentiae* » (3), Decreto die 5 Augusti 1745, edito ab eodem Romano Pontifice, et duabus Instructionibus S. Officii (4).

Delictum sollicitationis secundum Benedictum XIV tunc adest, « si confessarius aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, etiam ipsa confessione non secuta, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia secum aut cum alio, nunc aut alio tempore patranda, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, sollicitare vel provocare tentaverit, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerit ». Etiam ille puniendus est, qui solummodo *tentaverit* sollicitare (5).

2. *Poenae*, quibus sacerdotes sollicitantes plectuntur, ex Constitutione Gregorii XV « *Universi* » sunt hae: « Et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate et circumstantiis, suspensionis ab executione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum et officiorum quorumcumque, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae et passivae, si regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes et carceris etiam in perpetuum, absque ulla spe gratiae, poenas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores poenas meruerint, debita praecedente degradatione, curiae saeculari puniendos tradant ». Ad has poenas Benedictus XIV Decreto 5 Augusti 1745 adiecit: » perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad sacrificii Missae celebrationem ». Sed hae poenae omnes sunt *ferendae*, non *latae* sententiae, id quod Instructio S. Officii diei

(1) Breve « *Cum sicut nuper* » 16 Apr. 1561.

(2) Const. « *Universi* » 30 Aug. 1622.

(3) Diei 3 Iunii 1741.

(4) Diei 20 Febr. 1867 et 6 Aug. 1897.

(5) S. Off. 20 Febr. 1867.

20 Februarii 1867 expressis verbis dicit: « Notandum est, poenas huiusmodi omnes, et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum, in Decreto Benedicti XIV die 5 Aug. ann. 1745 praescriptam, esse tantum ferendae sententiae ». Insuper eadem Instructio prohibuit degradationem et traditionem brachio saeculari: « Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Gregorio XV statutum fuit; ceterum ad terrorem potius impositum haberi debet, quam ut executioni mandetur ». Patet autem per se, commemoratas poenas *pro gravitate culpae* et *diversitate circumstantiarum* delicti commissi a iudice infligendas esse.

Nulla procedura iudiciali opus est, si delinquens *ante denuntiationem*, a persona sollicitata sub poena excommunicationis intra mensem Ordinario faciendam, *sponte* crimen a se commissum confitetur, vel si saltem, denuntiatione facta, *ante citationem* iudici ecclesiastico se sistit atque culpam suam confitetur, dummodo agatur tantum de unica persona sollicitata; in priore casu reus plectitur dumtaxat gravibus poenitentis, in altero casu in eum animadvertitur poenis mitioribus quam a iure statutis (1). Si vero delinquens, denuntiatione facta, non sponte ante citationem iudici se stiterit, pro gravitate culpae plecti debet supradictis gravibus poenis suspensionis ab executione ordinis et inhabilitatis ad eam, in specie perpetuae suspensionis ab audiendis confessionibus, et perpetuae privationis beneficii et inhabilitatis ad nova acquirenda.

Verum inflictio harum poenarum ex una parte supponit *denuntiationem*, ex altera parte *proceduram iudicalem* canonicam.

3. *Denuntiationem* imprimis quod spectat, solus *Episcopus* est iudex, cui denuntiatio a persona sollicitata facienda est; Vicarius Generalis denuntiationem accipere nequit nisi habeat mandatum speciale, at absente vel impedito Episcopo *confessarios* deputare potest ad recipiendas denuntiationes sollicitationum (2).

Denuntiationes *anonymae* contra sollicitantes ad turpia nullam habent vim; denuntiationes enim fieri debent *in iudicio*, nempe coram Episcopo, vel iudice ab eo ad particularem causam specialiter delegato, et notario item specialiter delegato, atque

(1) S. Off. 20 Febr. 1867.

(2) S. Off. 20 Mart. 1901.

iudex inquirere debet, an constet de credibilitate denuntiantium. Quodsi in casu particulari denuntiatio sollicitationis excipitur absque interventu notarii, a sacerdote, ab Episcopo specialiter ad id delegato, servari debet haec forma a S. Officio praescripta:

*Delegatus incipiet actum a notando die, mense, anno.*

*Die..... mensis..... anni....*

Sponte personaliter comparuit coram me infrascripto sistente in (notabit locum et dioecesim ubi reperitur ad actum recipiendum) ad hunc actum tantum ab Ill.mo et Rev.mo N. specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii litteris mihi directis et datis sub die (exprimet quo die ipsi scriptae fuerint litterae) praesenti positioni allegandis, N. N. (scribet nomen, cognomen, patrem, patriam, aetatem, condicionem et habitationem personae denuntiantis; et si haec religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in saeculo. Deinde prosequetur) cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliiis (quae manu tangere faciet), exposuit prout infra, videlicet:

*Hic persona denuntians vernaculo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi, absque interventu notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustis de causis eidem Reverendissimo Antistiti se sistere nequit: deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices et singula adiuncta, necnon utrum in actu confessionis, an prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem sedem et ipsum confessarium sollicitantem, et quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandam personam denuntiantem, utrum consensum ad actum turpem quocumque modo praestiterit vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce exscriptis prout narrantur, delegatus, quae sequuntur, neque aliud praeterea quidpiam requireret.*

*Interr.* An sciat, vel dici audierit, dictum N. N. (nominando personam) confessarium sollicitasse alias poenitentes ad turpia? et quatenus etc.

*Resp.* (Notabit responsionem, et si haec affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret et causam scientiae).

*Interr.* De fama supradicti confessarii N. N. tam apud se quam apud alios? et quatenus etc.

*Resp.* (Responsionem exscribere).

*Interr.* An odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus etc., et quatenus etc.

*Resp.* Recte (si ad propriam conscientiam exonerandam denuntiasset se dicet). Si a sollicitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, erit etiam interroganda:

*Interr.* Cur tamdiu distulerit praefata denuntiare proprio Ordinario, et conscientiam suam exonerare?

*Resp.* (Notabit responsionem).

*Actus claudatur hac ratione.*

Quibus habitis et acceptatis etc. dimissus (vel dimissa) fuit iuratus (vel iurata) de silentio servando ad novum tactum SS. Dei Evangeliorum (super Evangelium iterum iurabit); et in confirmationem praemissorum se subscripsit (et si scribere nesciat) et cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum Crucis (Crucis signum calamo faciendum ab ea exigit).

*Postquam denuntians se subscripserit, aut Crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo:*

Acta sunt haec per me N. N. ab Ill.mo et Rev.mo Antistite N. N. ut supra specialiter delegatum.

*Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem transmittet una cum instructione et litteris acceptis nihil omnino apud se retinendo.*

4. Saepius accidit, quod in denuntiationibus indicantur aliae personae, quae ab eodem confessario sollicitationem passae sunt, quae tamen denuntiationem non fecerunt. Pro tali casu S. Officium ad eruendam veritatem die 20 Iulii 1890 sequentem edidit Instructionem:

Non raro ad hanc Congregationem Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis transmittuntur ab Ordinariis vel a Sacra Poenitentiarum denuntiationes contra confessarios sollicitantes poenitentes ad turpia: et saepe accidit, ut in denuntiationibus ipsi

inducantur aliae poeniterentes vel uti certo ad turpia sollicitatae, vel tantum ex indiciis inductae, quae tamen obligationi de denuntiatione emittenda iuxta sacros canones satis non fecerunt. Ne autem crimen tam infandum absque debitis animadversionibus maneat, Sacra Congregatio ad tramitem Apostolicarum Constitutionum indicit locorum Ordinariis, ut inductas poeniterentes opportuno examini subiiciant, ut inde legales probationes in processualibus tabulis resultent.

Verum experientia compertum est, huiusmodi examina non ita scite seu legaliter assumi a iudicibus delegatis; ita ut saepius causas ipsas, alioquin graviores et in damnum ac scandalum fidelium vertentes, prosequi datum non sit.

Quapropter ne in posterum ex enuntiatis defectibus in examinibus assumendis causae contra sollicitantes infectae remaneant, Sacra Suprema haec Congregatio opportunum, immo necessarium censet, locorum Ordinariis instructionem iuxta decreta ac ordinationes alias editas exaratam transmittere, qua examina poenitentium per generalia rite et legaliter prosequi valeant.

Praenotandum quod nimia circumspectione utendum est in personis ad examen invitandis; etenim non semper opportunum erit, eas ad publicum cancellariae locum convenire, praesertim si examini subiiciendae sint vel puellae, vel uxoratae, aut famulatui addictae; tunc enim consultum erit, eas vel in sacrario, vel alio iuxta prudentem Ordinarii seu iudicis aestimationem caute convocare ad earum examen assumendum. Quodsi examinandae vel in monasteriis aut nosocomiis seu in piis puellarum domibus existant, tunc magna cum diligentia et diversis diebus iuxta circumstantias peculiare vocandae erunt.

Insuper animadvertant iudices ad examina assumenda deputati, quod in eorum et cancellarii seu notarii (qui semper ecclesiastici esse debent) praesentia, examinanda exclusive compareat absque socia, absque teste; etenim omnia sub inviolabili secreto perfici necesse est.

Tandem de actibus inde assumtis Ordinarii debent transmitti ad hanc Supremam Congregationem exemplar authenticum et cum suo originali collatum.

Hisce generatim praemonitis subnectitur norma examinis conficiendi.

*Norma examinis per generalia assumendi.*

Vigore epistolae Sacrae Supremae Congregationis datae sub die... (vel vigore Decreti Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi, Ordinarii) vocata personaliter comparuit coram Illustrissimo ac Reverendissimo Domino N. N. sistente in cancellaria (vel in sacrario aut in collocatorio monialium seu piaedomus) in meique etc.

N. N. nubilis (vel uxorata), degens in hac civitate N. N., in paroecia N. N., filia (vel uxor) N. N., aetatis suae..., conditionis civilis (aut agricolae aut famulatui addictae), cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliiis, fuit

*Interr.* An sciat vel imaginetur causam suae vocationis et praesentis examinis?

*Resp.*.....

*Interr.* A quot annis usa sit accedere ad sacramentum poenitentiae?

*Resp.*.....

*Interr.* An semper apud unum eundemque confessarium sacramentum poenitentiae receperit, vel apud plures sacerdotes; insuper, an in una eademque, vel in pluribus ecclesiis?

*Resp.*.....

*Interr.* An a singulis quibus confessa est sacerdotibus exceperit sanctas admonitiones, et opportuna praecepta, quae ipsam examinatam aedificarent, et a malo arcerent, et quatenus etc.

*Resp.*.....

*Notandum:* Si responsio fuerit affirmativa, id est si dicat, se bene semper fuisse directam, tunc interrogatur sequenti modo:

*Interr.* An sciat vel meminerit aliquando dixisse vel audivisse, quod quidam confessarius non ita sancte et honeste sese gesserit erga poeniterentes; quin murmurationes, seu verba contumibilia contra ipsum confessarium prolata fuerint; ex. gr. quod ipsa examinata ab uno vel a pluribus poenitentibus, atque ab uno abhinc anno, vel a quatuor aut tribus mensibus, similia audierit?

*Notandum:* Si post hanc interrogationem et animadversionem examinata negare pergat, claudatur actus consueta forma, quae ad calcem huius instructionis prostat.

At si quidquam circa aliquem confessarium, iuxta ea, de quibus interrogatur, aperuerit, ulterius interrogabitur, prout sequitur:

*Interr.* Ut exponat nomen, cognomen, officium, aetatem confessarii, et locum seu sedem confessionis; an sit presbyter saecularis vel regularis, et quatenus etc.

*Resp.....*

*Interr.* Ut exponat seriatim, sincere et clare ea omnia, quae in sacramentali confessione vel antea vel postea vel occasione confessionis audierit a confessario praedicto minus honesta: vel an ab eodem aliquid cum ipsa inhoneste actum fuerit nutibus, tactibus seu opere, et quatenus etc.

*Notandum:* Hoc loco iudex solerter curabit, ut referantur iisdem verbis, quibus confessarius usus fuerit, sermones turpes, seductiones, invitamenta conveniendi in aliquem locum ad malum finem, aliaque omnia, quae crimen sollicitationis constituunt, adhibita vernacula lingua, in qua responsiones sedulo et iuxta veritatem exarabuntur, animum addat examinatae, si animadvertat, eam nimio timore aut verecundia a veritate patefacienda praepediri, eidem suadens omnia inviolabili secreto premenda esse. Denique exquiret tempus, a quo sollicitationes inceperint, quamdiu perduraverint, quoties repetitae, quibus verbis et actibus malum finem redolentibus expressae fuerint. Cavebit diligenter ab exquirendo consensu ipsius examinatae in sollicitationem, et a quacumque interrogatione, quae desiderium prodat cognoscendi eiusdem peccata.

*Interr.* An sciat vel dici audierit, praedictum confessarium alias poenitentes sollicitasse ad turpia; et quatenus eas nominet.... (atque hic iubebit pandi nomen, cognomen et saltem indicia clariora, quibus aliae personae sollicitatae detegi possint).

*Notandum:* Si forte inducantur aliae personae sollicitatae, erit ipsius iudicis, eas prudenter advocare et singillatim examinare iuxta formam superius expositam.

*Resp.....*

*Interr.* De fama praedicti confessarii tam apud se quam apud alios?

*Resp.....*

*Interr.* An praedicta deposuerit ex iustitiae et veritatis amore, vel potius ex aliquo inimicitiae vel odii affectu, et quatenus etc.

*Resp.....*

Quibus habitis et acceptatis dimissa fuit iurata de silentio servando iterum tactis SS. Dei Evangelii, eique perlecto suo examine in confirmationem praemissorum se subscripsit (*si fuerit illitterata dicatur*) et cum scribere nesciret, fecit signum Crucis. (subscriptio personae examinatae).

Acta sunt haec per me N. N., cancellarium vel notarium ad hunc actum assumtum.

5. Iuxta Instructionem S. Officii diei 6 Aug. 1897 Ordinarius de denuntiatione sibi facta necnon de relativis depositionibus testium S. Officium certius reddere debet. Ratio est quia sacerdos, qui apud Curiam episcopalem fortasse *prima* vice denuntiatus est, apud S. Officium iam *iteratis* vicibus de eodem crimine sollicitationis accusatus esse potest; ceterum S. Poenitentiarum quoque denuntiationes ad ipsam delatas transmittit ad S. Officium. Hinc regula generalis est, quaecumque denuntiationem acceptam, de qua Episcopus cognoscere debet, deferendam esse ad S. Officium. At fit etiam, ut denuntiationes directe ad S. Officium transmittantur vel ab Episcopo ante inquisitionem ad hanc S. Congregationem deferantur. S. Officium autem ita procedere solet, ut post unam alteramve denuntiationem rescribat, quod denuntiatus observetur, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denuntiationes res explorata erit, in iudicium vocandus sit; id autem ordinarie fit non nisi post *tertiam* denuntiationem. Consulendum est, Curias quoque episcopales hoc modo procedere, quoniam post primam denuntiationem saepe non habetur ratio sufficiens ad instituendam inquisitionem.

6. Supra diximus, punitionem sacerdotis sollicitantis praeter denuntiationem praesupponere etiam *proceduram iudicalem*. Hanc vero perficere admodum difficile est, quia *unus* tantum, videlicet poenitens, ut testis examinari potest, de cuius proinde *credibilitate* omnino constare debet. Unde procedura ordinaria adhiberi nequit.

Quare S. Officium ad tuendum statum ecclesiasticum Instructionibus diei 20 Febr. 1867 et diei 6 Aug. 1897 praecepit *specialem* quandam proceduram a iudice ecclesiastico in causis sol-



licitationis sub poena nullitatis adhibendam. Excluditur autem prorsus procedura ex informata conscientia. Citata Instructio anni 1897 incipit ab inculcando dispositionem supra dictae Constitutionis Benedicti XIV: « *Sacramentum Poenitentiae* », quae praecipit, ut *antequam contra denuntiatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debeat, quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia, vel alio humano effectu adducti fuerint.*

Quare imprimis inquiri debet in *credibilitatem* denuntiantis, quae inquisitio apud S. Officium vocari solet: *diligentias circa denuntiatum eiusque denuntiantes peragere.* Non autem sufficit inquisitio *generalis*, sed institui debet inquisitio *specialis* peragenda per examen testium. Cum vero receptio testimoniorum non raro difficilis et quandoque impossibilis sit, S. Officium statuit sequentes normas ab Ordinariis servandas.

Ordinarius quoties de sollicitationis crimine denuntiationem acceperit, *illico* ad diligentias peragendas procedet. Ad quem finem advocabit separatim et qua decet circumspectione duos testes, quantum fieri poterit, ex coetu ecclesiastico, utcumque vero omni exceptione maiores, qui bene noverint tum denuntiatum, tum omnes et singulos denuntiantes, eosque, sub sanctitate iuramenti de veritate dicenda et de secreto servando, iudicialiter interrogabit, testimonium scripto referens, iuxta formulam infra relatum; id munus tamen Ordinarius committere valet etiam pio alicui, docto ac prudenti sacerdote, *specialiter* et pro particulari casu a se delegato, qui ante susceptionem muneris iuramentum de officio fideliter implendo et de secreto servando praestare debet. Quodsi inveniri nequeant duo tantum testes, qui noverint una simul denuntiatum et omnes et singulos denuntiantes, plures vocari debent, tot scilicet, quot oportebit, ut duplex quoad denuntiatum et unumquemque denuntiantem habeatur testimonium. Quoties autem iuramentum de secreto servando et, pro diversis casibus, de veritate dicenda vel de munere fideliter obeundo deferendum sit, iuramentum ipsum semper et ab omnibus, etiam sacerdotibus, tactis SS. Dei Evangelii et non aliter, praestandum erit. In Ordinarii vero potestate erit, siquidem pro rerum, locorum aut personarum adiunctis necessarium vel expediens indicaverit,

excommunicationem ipso facto incurrendam et Romano Pontifici speciali modo reservatam violatoribus comminari.

Protocollum de depositione testium modo sequenti confici debet:

*Die..... mense..... anno.....*

Vocatus personaliter comparuit coram me infrascripto Episcopo.... (*notetur nomen dioecesis. Delegatus autem dicat: coram me infrascripto a R. P. D. Episcopo..... ad hunc actum tantum specialiter delegato*) sistente in.... (*notetur locus ubi negotium geritur*). N. N. (*nomen, cognomen et qualitates testis conventi*) qui, delato ei iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangelii, fuit per me

1. *Interr.* Utrum noverit sacerdotem N. N.? (*nomen, cognomen et qualitates denuntiati*).

*Resp.... (exscribatur lingua, qua utitur testis, eius responsio).*

2. *Interr.* Quaenam sit huiusce sacerdotis vitae ratio, quinam mores, quaenam penes populum existimatio?

*Resp.....*

3. *Interr.* Utrum noverit viros vel, ut plurimum, mulieres N. N. (*nomen, cognomen et qualitates uniuscuiusque denuntiantis*).

*Resp.....*

4. *Interr.* Quaenam sit uniuscuiusque eorum vitae ratio, quinam mores, quaenam penes populum existimatio?

*Resp.....*

5. *Interr.* Utrum eos censeat fide dignos, vel contra mentiendi, calumniandi in iudicio, et etiam periurandi capaces eos existimet?

*Resp.....*

6. *Interr.* Utrum sciat, num forte inter eos et praefatum sacerdotem ulla unquam exstiterit odii vel inimicitiarum causa?

*Resp.....*

Tunc, delato ei iuramento de secreto S. Officii servando, quod praestitit ut supra, dimissus fuit, et antequam discederet, in confirmationem praemissorum se subscripsit.

*Subscriptio autographa testis vel eius signum ✠ crucis.*

Acta sunt haec per me N. N. (*nomen, cognomen et qualitates Episcopi vel eius delegati qui testimonium recepit*).

7. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout iura exposcunt, admissio, S. Officium imprimis illi interdicit in perpetuum, ne confessiones excepiat. Idem faciat Episcopus, quoties ipse vel alius ab eo delegatus talem causam cognoverit. Reus qui in iudicio crimen *confessus* est, congruam debet emittere abiurationem consueta forma canonica, ut se ita purget ab ea quam incurrit haeresis suspicione. Reus vero de crimine sollicitationis iudicialiter *convictus* congruis *poenis canonicis* plectitur, quin ei imponatur abiurationis actus. Uti supra iam dictum est, has poenas effugiunt illi, qui *non denunciati* iudici ecclesiastico se sistunt; illi vero, qui iudicialia forma iam praeventi, sed *nondum citati*, sua sponte se sistunt, et ii pariter, quos veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius ex acceptis postea denuntiacionibus deprehenderit, pro ipsius Ordinarii prudentia *mitius* puniantur.

S. Officium autem maxime inculcat, ut tales causae ab Episcopis *quam secretissime* peragantur iique omnes, qui quocumque modo hisce causis intersunt, iuramento ad perpetuum silentium adstringantur. Aliquando S. Officium instructionem processus committit Ordinario loci, sibi reservans prolationem sententiae, cuius tamen executionem iterum Ordinario delegat.

Etiamsi citatae Instructiones super tractandis causis sollicitationis Episcopos non directe obligent, cum eorum iurisdictio in talibus causis sit ordinaria, tamen expedit, ut procedura S. Officii iis sit normae; si vero procedant de *mandato* S. Officii, *debent* servare normas Instructionibus traditas necnon omnes speciales dispositiones mandato contentas (1).

### TITULUS TERTIUS.

#### De procedura in clericos suspectos.

Crimen concubinitus in clericis recensetur inter gravissima delicta, quae in foro ecclesiastico puniuntur. Ob eius funestos ef-

(1) Citatae Instructiones S. Officii, videlicet diei 20 Febr. 1867, diei 20 Jul. 1890 et diei 6 Aug. 1897, inveniuntur apud *Lega*, De iudiciis ecol., t. IV, p. 551 sq., et in periodico *Acta S. Sedis*, III, 499 sq., XXV, 451 sq., XXX, 279 sq.

fectus, quos in fidelibus producit, quam celerrime est tollendum et vindicandum. Quare Ecclesia illico rem praecidit, quin in clericos concubinarios proceduram iudicalem proprie dictam adhibeat.

Dum prioribus temporibus concubinarii incorrigibiles praesertim censuris, non exclusa excommunicatione (1), puniebantur, Concilium Tridentinum (2) statuit sequentes normas in procedura contra eiusmodi delinquentes adhibendas:

1. Clerici quicumque *beneficium* vel *pensionem ecclesiasticam* obtinentes, qui *concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant*, statim a superioribus monendi sunt, ut ab illis mulieribus se absterneant seu eas e domo removeant. Patet autem per se, necessarium esse, ut *constet* de eo, quod sacerdos vel extra domum consuetudinem habeat cum muliere, *de qua possit haberi suspicio*, vel in domo talem mulierem detineat, ita ut adsit suspicio *fundata* vel *iure meritoque* habeatur vel timendum sit scandalum populi. Haec vero probanda sunt per testes omni exceptione maiores, praesertim per sacerdotes eiusdem vel vicini loci. Si revera constet tum de eo, quod agatur de muliere suspecta, tum de eo, quod sacerdos cum ea consuetudinem habeat, sacerdoti intimatur *prima monitio* illico desistendi ab illa consuetudine vel illam mulierem, statim vel intra breve tempus ab Ordinario praefinitum, e domo dimittendi. In decreto autem, quo id iniungitur, Episcopus vel Vicarius Generalis declarare debet, hanc monitionem esse *primam*, coniunctam cum comminatione poenae privationis *tertiaae partis* fructuum ac proventuum beneficalium ipso facto incurrendae. Si sacerdos intra tempus determinatum monitioni non paruerit atque de hac inobedientia constet, sive per confessionem ipsius rei, sive per testimonium aliorum, v. g. vicarii foranei aliorumve sacerdotum, applicari debet *secunda* monitio eiusdem tenoris ac prima et cum comminatione poenae latae sententiae ammissionis *omnium* fructuum ac proventuum beneficii; praeterea Ordinarius, si id opportunum censeat, talem clericum inobedientem administratione

(1) C. 1. 4. 5. 8. X. III. 2.

(2) Sess. XXV. c. 14 de ref.

sui beneficii privare potest. Si clericus intra terminum praefixum ne huic quidem monitioni pareat et de eius inobedientia constet, intimatur ei *tertia* monitio cum comminatione poenae *privationis* beneficii. Quodsi etiam haec monitio effectum non habuerit, Episcopus — etiam uti Sedis Apostolicae delegatus, absque tamen facultate potestatem suam iudicalem delegandi — sola facti veritate inspecta seu modo summario clericum concubinarium potest suo beneficio et quocumque officio ecclesiastico *privare* simulque eum inhabilem declarare ad quodcumque aliud beneficium vel officium obtinendum. Executio autem huius sententiae nulla appellatione impediri aut suspendi potest; nam appellatio habet solummodo effectum *devolutivum*, quamobrem sententia modo provisorio exequenda est. Tamen animadvertendum est, sententiam non *necessario* statim ab Episcopo executioni esse mandandam; Episcopus enim *potest*, si malit, expectare sententiam iudicis superioris, praesertim cum hodie in eiusmodi casibus ordinarie directe ad Sedem Apostolicam appelletur, quo in casu sententia iudicis inferioris in suspenso manere solet. Si vero clericus vitam suam scandalosam pergere ausus fuerit, Episcopus etiam poena excommunicationis contra eum procedere potest.

2. Clerici beneficium ecclesiasticum aut pensionem ecclesiasticam *non habentes*, qui ter moniti sese non correxerint, poena reclusionis in domum demeritorum, suspensionis ab ordine ac inhabilitatis ad obtinenda beneficia puniri debent. Monitiones autem non secus ac quoad beneficiatos sunt *personales* atque *peremptoriae*, idest termino elapso statim poenae comminatae incurruntur. Si nesciatur, ubinam clericus suspectus commoretur, monitiones fieri possunt etiam per edictum publicum, v. g. in folio dioecesano inserendum; quodsi commonitus intra terminum determinatum non compareat, poenae comminatae post sententiam declaratoriam iudicis executioni mandantur.

3. *Parochi* vero, qui turpiter et scandalose vivunt, iuxta dispositionem Concilii Tridentini Sess. XXI, c. 6 de ref., puniendi sunt. Si praemoniti sese non correxerint, poenis imprimis *arbitrariis*, v. g. suspensionis ab ordine vel privationis alicuius partis fructuum beneficiorum suorum, emendari debent. Quae poenae si optatum effectum non habuerint, tunc parochi beneficiis suis privandi sunt, seu iuxta verba Tridentini: *si adhuc incor-*

*rigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis iuxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota* (Episcopi) *privandi facultatem habeant*. Episcopi autem contra parochos possunt procedere eodem modo ac contra alios beneficiatos, sel. summarie seu, uti loquitur Tridentinum Sess. XXV, c. 14 de ref.: *sine strepitu et figura iudicii, et sola facti veritate inspecta*.

Delictum concubinatus nostra aetate in comparatione temporis Concilii Tridentini rarius quidem committitur, at hodie quoque suspicio huius criminis in clericis apud populum, praesertim apud laicos excultos, magnum scandalum provocat atque occasionem praebet maledicendi clericorum statui et Ecclesiae, quamobrem poenae suspensionis vel remotionis ab officio *semper statim* applicandae sunt. Per celerem enim interventum auctoritatis episcopalis saepe praecaveri potest, ne sacerdotes in interitum spiritualem ruant.

#### TITULUS QUARTUS.

De procedura in causis iectionis vel dimissionis<sup>(1)</sup> religiosorum ab ordinibus et institutis religiosis.

Quamdiu Ecclesia in libero exercitio suorum iurium non impediatur, difficile haud erat, debitis poenis animadvertere in religiosos delinquentes. Infigebantur autem praecipue graves poenitentiae, ieiunia, incarcerationes etc., quae rei pertinaciam frangerent. Cum vero haec media frustra adhibita fuerant, in delinquentem incorrigibilem iudicialiter procedi poterat ad effectum iectionis ab ordine, quo ex una parte a communitate remove-

(1) Termini iectionis et dimissionis, licet per se diversas significationes habeant, cum *iectio* sensu stricto sumta sit religiosi (ut plurimum solemniter professi) expulsio ex ordine religioso ob grave et publicum delictum, coniunctum cum incorrigibilitate, forma iudiciali inflicta, dum *dimissio* potius apud congregationes et instituta religiosa in usu est, neque necessario requirit dictas condiciones (cfr. S. Congr. super stat. regular. 12 Iun. 1858, n. 4. 5), tamen non raro promiscue adhibentur. Ceteroquin iuxta novas dispositiones iuris pro iectione et dimissione generatim eadem formalitates praescribuntur.

retur scandalum et ex altera parte religiosus, qui expulsionem omnem existimationem amiserat, ad meliorem vitae rationem adduceretur. Ne autem haec poena adeo gravis inconsulte applicaretur, statutae erant variae praescriptiones et solemnitates, quae partim delinquentem ipsum, partim ordinem et proceduram contra religiosum instituendam respiciebant.

Dispositiones iuris communis continebantur praesertim Decreto « *Sacra Congregatio* » diei 21 Sept. 1624, iussu Urbani VIII edito a S. Congr. Concilii, et Decreto « *Instantibus* » diei 24 Iul. 1694, iussu Innocentii III edito ab eadem S. Congregatione. Cum vero ob adiuncta temporum has normas quoad omnia et singula observare admodum esset difficile, non raro accidit, ut Superiores petierint et obtinuerint relaxationem proceduræ praescriptae (1). Insuper tempore recentiore in Decreto S. Congreg. Epp. et Reg. « *Auctis admodum* » diei 4 Nov. 1892, in Constitutione Leonis XIII « *Conditae* » diei 8 Dec. 1900, et in Normis a S. Congr. Epp. et Reg. die 28 Iun. 1901 publicatis, certae solemnitates quoad hanc proceduram emanatae sunt.

At Decreto « *Quum singulae* » diei 16 Maii 1911 S. Congregatio de Religiosis alias praescriptiones statuit in expulsionem vel dimissione religiosorum ab ordinibus et institutis religiosis observandas. Ratio ob quam haec nova procedura introducta est, repetenda est ex eo, quod singulae praescriptiones ac solemnitates a iure, praesertim ab Urbano VIII statutae, commode servari nequibant. Quocirca praedictae Sacrae Congregationi opportunum visum est, alias statuere praescriptiones, magis expeditas et hodiernis temporum circumstantiis melius accommodatas, videlicet normas sequentes:

1. Curiam competentem vel tribunal competens ad ferendam sententiam constituunt Superior seu Moderator Generalis et Definidores vel Consiliiarii seu Assistentes, non minus quatuor; si qui deficient, eorum loco totidem religiosos eligat praeses curiae vel tribunalis, de consensu aliorum Consiliiariorum.

In congregationibus monachorum tribunal constituunt Abbas Generalis cum suo Consilio. Si aliqua abbatia nulli adnexa sit congregationi, recurrentum ad S. Sedem in singulis casibus.

(1) Cfr. S. Congr. Epp. et Reg. 22 Ian. 1886.

2. In qualibet curia seu tribunali constituatur a Consilio Generali promotor iustitiae pro iuris et legis tutela, qui sit religiosus eiusdem ordinis vel congregationis.

3. Processus dumtaxat summarius in posterum instituatur in expellendis vel dimittendis religiosis, qui vel vota solemnia in ordinibus, vel vota perpetua in congregationibus vel institutis professi sunt, vel, si vota tantum temporanea emiserint, tamen in sacris sunt constituti; salvis specialibus privilegiis, quibus aliquis ordo vel institutum gaudeat (1).

4. Ad processum instruendum deveniri nequit, nisi postquam tria (2) et data monitio et inflictæ correctio incassum cesserint, salvis exceptionibus sub n. 17 et 18.

5. Monitio faciendæ est a legitimo superiore etiam locali de mandato tamen vel licentia superioris provincialis seu quasi-provincialis; qui postremae monitioni opportune adiunget expulsionem vel dimissionem comminationem. Ad effectum expulsionis vel dimissionis non valet monitio vel correctio, nisi ob grave aliquod delictum data fuerit.

6. Monitiones repeti nequeunt, nisi delictum repetitum fuerit, sed in delictis continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter unam et alteram monitionem spatium saltem duorum dierum integrorum. Post ultimam monitionem sex dies integros erit expectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

7. Ex processu constare debet de conventi reitate, necnon de gravitate et numero delictorum, de facto triplicis monitionis, et de defectu resipiscentiae post trinam monitionem.

(1) Quare nihil mutatum est quoad dimissionem religiosorum, qui emiserunt vel in *ordine* vota *simplicia*, quae professionem solemnem praecedunt, vel in *congregatione* vota *temporanea*, neque in *sacris* sunt constituti. Isti proinde etiam nunc post novum Decretum a Superiore Generali cum suo consilio vel a religiosis specialiter deputatis ex *gravis* et *legitimis* causis, cum liberatione ab omni obligatione ex votis orta, dimitti possunt, et quidem absque forma iudiciali et *sola facti veritate* inspecta. Cfr. Declarat. S. Congr. super discipl. regul. 1899. num. 4. 5.

(2) Monitio trina iam ex iure hucusque vigenti (c. 6. X. III. 35) praescripta erat. Non constat, utrum post novum Decretum aliquando monitio *peremptoria* seu *una pro tribus* adhiberi possit.

8. Ut de conventi reitate constet, tales probationes afferendae sunt, quae animum viri prudentis moveant. Hae probationes desumi possunt ex rei confessione, ex depositione duorum saltem testium fide dignorum, iuramento firmata atque aliis adminunculis roborata, et ex authenticis documentis.

9. Gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatae, sed etiam a gravitate poenae a lege sancitae, a gravitate doli, et a gravitate damni, sive moralis sive materialis communitati illati.

10. Ad effectum, de quo agitur, requiruntur ad minus tria crimina gravia eiusdem speciei, vel, si diversae, talia, ut simul sumta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, vel unum tantum crimen permanens, quod triplici monitione virtualiter triplex fiat.

11. Ut constet de facto triplicis monitionis, regulariter de hoc afferri debet authenticum documentum. Proinde oportet:

a) ut haec fiat vel coram duobus testibus, vel per epistolam, a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis vel repudii;

b) ut documentum redigatur de peracta monitione, a dictis testibus subscriptum et in registis vel tabulario servandum; vel ut exemplar conficiatur supradictae epistolae, a duobus item testibus pro conformitatis testimonio ante expeditionem subscriptum et in registis vel tabulario pariter asservandum.

12. Defectum resipiscentiae probat novum crimen, post trinam monitionem commissum, vel pervicax et obdurata agendi ratio delinquentis.

13. Superior provincialis vel quasi-provincialis religiosi delinquentis, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta, quae de huius religiosi reitate exstant, diligenter colliget et ad Superiorem Generalem transmittet, qui ea tradere debet procuratori iustitiae, ut ea examinet et suas accusationes, si quas proponendas existimabit, proponat.

14. Accusationes a procuratore iustitiae propositae et processus resultantia accusato notificari debent, eidemque tempus congruum, arbitrio iudicis determinandum, concedi, quo suas defensiones, sive per se, sive per alium eiusdem ordinis vel instituti

religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, curia vel tribunal defensorem alumnum respectivi ordinis vel instituti ex officio constituere debet.

15. Curia seu tribunal, diligenter perpensis allegationibus sive promotoris sive rei, si quidem eas adversari iudicaverit convento, sententiam expulsionis vel dimissionis pronuntiare poterit; quae tamen, si condemnatus intra decem dies a sententiae notificatione rite ad Sacram Congregationem de Religiosis appellaverit, executioni demandari nequit, donec per eandem Sacram Congregationem iudicium latum fuerit.

16. Non obstante autem appellatione, reus poterit ad saeculum statim remitti a Moderatore Supremo vel Abbate Generali, cum consensu sui capituli vel consilii, si ex eius praesentia periculum vel gravissimi scandali, vel damni item gravissimi communitati eorumque alumnis immineat. Interim habitum dimittat et maneat suspensus, si in sacris constitutus sit.

17. Qui reus fuerit etiam unius tantum delicti, ex quo periculum gravis scandali publici vel gravissimum detrimentum toti communitati immineat, poterit, etiam a superiore provinciali vel abbate, ad saeculum item remitti, habitu religioso illico deposito; dummodo certo constiterit de ipso delicto et de religioso, cui illud imputatur, reitate; et interim instituatur processus ad sententiam expulsionis vel dimissionis ferendam. Qui in sacris constituti sunt, pariter suspensi maneant.

18. Item contra quaedam delicta censetur veluti lata a iure poena expulsionis vel dimissionis. Quae delicta sunt:

a) publica apostasia a fide catholica;

b) apostasia ab ordine vel instituto, nisi intra tres menses religiosus redierit;

c) fuga a monasterio, suscepta secum muliere;

d) et multo magis contractus, ut aiunt, civilis, vel attentatio aut celebratio matrimonii, etiam validi, seu quando vota non sint solemnia vel non habeant solemnium effectum.

Sufficit in istis casibus, ut Superior Generalis vel provincialis cum suo respectivo consilio emittat sententiam declaratoriam facti.

19. Sententia expulsionis vel dimissionis, quocumque modo lata, si agatur de religioso in sacris, illico communicanda erit

Ordinario originis et Ordinario loci, ubi ille moratur, aut sedem suam statuere velle dignoscatur.

20. Omnes religiosi, de quibus agitur, in sacris constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi manent, donec a competente auctoritate (1), post emendationem vitae, dispensationem obtinuerint. Religiosi vel clerici, non in sacris, expulsi vel dimissi, prohibentur, quominus ad superiores ordines adscendant sine venia Sanctae Sedis. Omnes autem expulsi vel dimissi, etiamsi sese vere emendaverint, ad suum vel ad alium ordinem vel congregationem admitti non poterunt absque speciali licentia Sedis Apostolicae.

21. Ad expellendas moniales, vota sive solemnia sive simplicia in ordine proprie dicto professas, et ad dimittendas sorores, quae vota perpetua emisissent in institutis religiosis, exiguntur graves causae exteriores, una cum incorrigibilitate, iudicio abbatis vel superiorissae cum suo consilio, respective manifestando per secreta suffragia, experimento prius habito, ita ut spes resipiscentiae evanuerit et ex continuis culpis monialis vel sororis incorrigibilis damna immineant monasterio vel instituto. Causae minus graves requiruntur ad dimittendas sorores votorum simplicium in ordinibus religiosis. Iustae et graves causae probari debent ab Ordinario loci et, si monasterium regularibus subiectum sit, etiam a superiore regulari. Insuper accedat necesse est confirmatio Sacrae Congregationis, ita ut expulsio vel dimissio ex parte ordinis vel instituti, iuridicum effectum non sortiatur, antequam a Sacra Congregatione confirmata fuerit. Solummodo in casu gravis scandali exterioris, Episcopo loci approbante, monialis vel soror statim ad saeculum remitti potest, ita tamen, ut Sanctae Sedis confirmatio absque mora petatur.

## TITULUS QUINTUS.

### De amotione administrativa parochorum.

Quamvis amotio parochorum ex Decreto « *Maxima cura* » diei 20 Aug. 1910 administrativo modo decernenda sit, institu-

(1) Ad obtinendam dispensationem adeunda est Sancta Sedes, ex Const. « *Apostolicae Sedis* », 12 Oct. 1869, § 5. n. V. Dispensatio tamen non conceditur nisi religiosus Episcopum benevolum receptorem invenit. Cfr. Decret. « *Auctis admodum* » 4 Nov. 1892 art. IV.

endus est tamen quidam *processus*, licet in eodem non sit necesse normas stricte iudiciales observare. Quamobrem expedit transcribere hic saltem ipsum Decretum, necnon nonnullas S. Congregationis Consistorialis declarationes circa idem Decretum et Episcoporum regni Borussici explicationes in idipsum publicatas die 14 Decembris 1910.

### A. — *Decretum S. Congregationis Consistorialis de amotione administrativa ab officio et beneficio curato* (1).

Maxima cura semper Ecclesiae fuit, ut christiano populo praesentent et animarum saluti prospicerent selecti e sacerdotum numero viri, qui vitae integritate niterent et cum fructu suis muniis fungerentur.

Quamvis autem, ut hi rectores, quae paroeciae utilia aut necessaria esse iudicarent, alacriore possent animo suscipere soluti metu, ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, praescriptum generatim fuerit, ut stabiles in suo officio permanerent; nihilominus, quia stabilitas haec in salutem est inducta fidelium, ideo consilio cautum est, ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat.

Quapropter, si quis scelestus creditum sibi gregem destruat magis quam aedificet, is debet, iuxta antiquissimum et constantem Ecclesiae morem, quantum fas est, instituto iudicio de crimine, beneficio privari, hoc est a parochiali munere abduci. Quod si, vi canonici iuris, criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus, parochus autem hac illave de causa, etiam culpa remota, utile ministerium in paroecia non gerat, vel gerere nequeat, aut forte sua ibi praesentia noxius evadat, alia suppetunt remedia ad animarum saluti consulendum. In his potissimum est parochi amotio, quae oeconomica seu disciplinaria vulgo dicitur, et nullo iudiciali apparatu, sed administrativo modo decernitur, nec parochi poenam propositam habet, sed utilitatem fidelium. Salus enim populi suprema lex est: et parochi ministerium fuit in Ecclesia institutum, non in commodum eius cui committitur, sed in eorum salutem pro quibus confertur.

(1) *Acta Apostolicae Sedis*, II, (1910), p. 636 sq.



Verum, quum de hac amotione canonicae leges haud plane certae perspicuaeque viderentur, coetus Consultorum et Emorum Patrum ecclesiastico codici conficiendo praepositus, rem seorsim ac repetito studio tractandam suscepit, collatisque consiliis, censuit formam quandam accuratiorem esse statuendam, qua gravis haec ecclesiasticae disciplinae pars regeretur. Quae studia quum SS. mus D. N. Pius PP. X et vidisset et probasset, quo tutius in re tanti momenti procederet, sententiam quoque sacrae huius Congregationis Consistorialis exquirendam duxit. Qua excepta et probata, ut Ecclesia posset, nulla interiecta mora, novae huius disciplinae beneficio frui, decretum per hanc S. Congregationem edi iussit, quo novae normae de amotione administrativa ab officio vel beneficio curato statutae promulgarentur, caedemque canonicam legem pro universa Ecclesia constituerent, omnibus ad quos spectat rite religioseque servandam.

Hae autem normae hisce qui sequuntur canonibus continentur.

#### I. De causis ad amotionem requisitis

##### Can. 1.

Causae, ob quas parochus administrativo modo amoveri potest, hae sunt:

1° Insania, a qua ex peritorum sententia perfecte et sine relabendi periculo sanus fieri non posse videatur, aut ob quam parochi existimatio et auctoritas, etsiamsi convaluerit, eam penes populum fecerit iacturam, ut noxium iudicetur eundem in officio retinere.

2° Imperitia et ignorantia quae paroeciae rectorem imparem reddat suis sacris officiis.

3° Surditas, caecitas et alia quaelibet animae et corporis infirmitas, quae necessariis curae animarum officiis imparem in perpetuum, vel etiam per diuturnum tempus sacerdotem reddant, nisi huic incommodo per coadiutorem vel vicarium occurri congrue possit.

4° Odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit, quod utile parochi ministerium impediatur, et prudenter praevideatur brevi non esse cessaturum.

5° Bonae aestimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec procedat ex inhonesta aut suspecta vivendi ratione pa-

rochi, vel ex alia eius noxia, vel etiam ex antiquo eiusdem crimine quod nuper detectum ob praescriptionem poena plecti amplius non possit; sive procedat ex facto et culpa familiarum et consanguineorum quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum.

6° Crimen quod, quamvis actu occultum, mox publicum cum magna populi offensione fieri posse prudenti Ordinarii iudicio praevideatur.

7° Noxia rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno; quoties huic malo remedium afferri nequeat auferendo administrationem parochi aut alio modo, et aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exercent.

8° Neglectio officiorum parochialium post unam et alteram monitionem perseverans et in re gravis momenti, ut in sacramentorum administratione, in necessaria infirmorum assistentia, in catechismi et evangelii explicatione, in residentiae observantia.

9° Inobedientia praeceptis Ordinarii post unam et alteram monitionem et in re gravis momenti, ceu cavendi a familiaritate cum aliqua persona vel familia, curandi debitam custodiam et munditiam domus Dei, modum adhibendi in taxarum parochialium exactione et similibus.

Monitio de qua superius sub extremo duplici numero, ut peremptoria sit et proximae amotionis praenuntia, fieri ab Ordinario debet, non paterno dumtaxat more, verbotenus et clam omnibus: sed ita, ut de eadem in actis Curiae legitime constet.

#### II. De modo procedendi in generali.

##### Can. 2.

§ 1. Modus deveniendi ad amotionem administrativam hic est: ut ante omnia parochus invitetur ad renuntiandum: si renuat, gradus fiat ad amotionis decretum; si recursum contra amotionis decretum interponat, procedatur ad revisionem actorum et ad praecedentis decreti confirmationem.

§ 2. In quo procedendi gradu regulae infra statutae ita servandae sunt, ut, si violentur in iis quae substantiam attingunt, amotio ipsa nulla et irrita evadat.

## III. De personis ad amotionem decernendam necessariis.

## Can. 3.

§ 1. In *invitatione* parochi facienda ut renuntiet, et in *amotionis decreto* ferendo, Ordinarius ut legitime agat, non potest ipse solus procedere; sed debet inter examinatores, de quibus statuit Sacra Tridentina Synodus, cap. XVIII, Sess. XXIV, *de reform.*, duos sibi sociare et eorum consensum requirere in omnibus actibus pro quibus hic expresse exigitur: in ceteris verò consilium.

§ 2. In *revisione autem decreti amotionis*, quoties haec necessaria evadat, duos parochos consultores assumat, quorum consensum vel consilium requiret, eodem modo ac in § superiore de examinadoribus dictum est.

## Can. 4.

Examinadoribus et parochis consultoribus eligendis lex in posterum ubilibet servanda haec esto:

§ 1. Si synodus habeatur, in ea, iuxta receptas normas, eligendi erunt tot numero, quot Ordinarius prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit.

§ 2. Examinadoribus et parochis consultoribus medio tempore inter unam et aliam synodum demortuis, vel alia ratione a munere cessantibus, alios *prosynodales* Ordinarius substituet de consensu capituli cathedralis, et, hoc deficiente, de consensu consultorum dioecesanorum.

3. Quae regula servetur quoque in examinadoribus et parochis consultoribus eligendis, quoties synodus non habeatur.

§ 4. Examinatores et consultores sive in synodo, sive extra synodum electi, post quinquennium a sua nominatione, vel etiam prius, adveniente nova synodo, officio cadunt. Possunt tamen, servatis de iure servandis, denuo eligi.

§ 5. Removeri ab Ordinario durante quinquennio nequeunt nisi ex gravi causa et de consensu capituli cathedralis vel consultorum dioecesanorum.

## Can. 5.

§ 1. Examinatores et parochi consultores ab Ordinario in causa amotionis assumendi, non quilibet erunt, sed duo seniores ratione electionis, et in pari electione seniores ratione sacerdotii, vel, hac deficiente, ratione aetatis.

§ 2. Qui inter eos ob causam in iure recognitam suspecti evidenter appareant, possunt ab Ordinario, antequam rem tractandam suscipiat, excludi. Ob eandem causam parochus potest contra ipsos excipere, cum primum in causa veniat.

§ 3. Alterutro vel utroque ex duobus prioribus examinadoribus vel consultoribus impedito vel excluso, tertius vel quartus eodem ordine assumetur.

## Can. 6.

§ 1. Quoties in canonibus qui sequuntur expresse dicitur, Ordinario procedendum esse de examinadorum vel consultorum *consensu*, ipse debet per secreta suffragia rem dirimere, et ea sententia probata erit, quae duo saltem suffragia favorabilia tulerit.

§ 2. Quoties vero Ordinarius de *consilio* examinadorum vel consultorum procedere potest, satis est ut eos audiat, nec ulla obligatione tenetur ad eorum votum, quamvis concors, accedendi.

§ 3. In utroque casu de consequentibus ex scrutinio scripta relatio fiat, et ab omnibus subsignetur.

## Can. 7.

§ 1. Examinatores et consultores debent sub gravi, dato iureiurando, servare secretum officii circa omnia quae ratione sui muneris noverint, et maxime circa documenta secreta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes.

§ 2. Si contra fecerint, non solum a munere examinadoris et consultoris amovendi erunt, sed alia etiam condigna poena ab Ordinario pro culpae gravitate, servatis servandis, mulctari poterunt: ac praeterea obligatione tenentur sarciendi damna, si quae fuerint inde sequuta.

## IV. De invitatione ad renuntiandum.

## Can. 8.

Quoties itaque, pro prudenti Ordinarii iudicio, videatur parochus incidisse in unam ex causis superius in *can. 1* recensitis, ipse Ordinarius duos examinatores a iure statutos convocabit, omnia eis patefaciet, de veritate et gravitate causae cum eis disceptabit, ut statuatur, sitne locus formali invitationi parochi ad renuntiandum.

## Can. 9.

§ 1. Formalis haec invitatio semper praemittenda est, antequam ad amotionis decretum deveniatur, nisi agatur de insania, vel quoties invitandi modus non suppetat, ut si parochus lateat.

§ 2. Decernenda autem est de examinatorum *consensu*.

## Can. 10.

§ 1. Invitatio *scripto* facienda generatim est. Potest tamen aliquando, si tutius et expeditius videatur, *verbis* fieri ab ipso Ordinario, vel ab eius delegato, adsistente aliquo sacerdote, qui actuarii munere fungatur, ac de ipsa invitatione documentum redigat in actis Curiae servandum.

§ 2. Una cum invitatione ad renuntiandum debent vel scripto vel verbis, ut supra, parochus patefieri causae seu ratio ob quam invitatio fit, argumenta quibus ratio ipsa innititur, servatis tamen debitis cautelis de quibus in *can. 11*, examinatorum *suffragium postulatum et impetratum*.

§ 3. Si agatur de occulto delicto, et invitatio ad renuntiandum scripto fiat, causa aliqua dumtaxat generalis nuntianda est; ratio autem in specie cum argumentis, quibus delicti veritas comprobatur, ab Ordinario verbis dumtaxat est explicanda, adsistente uno examinatorum qui actuarii munere fungatur, at cum cautelis ut supra.

§ 4. Denique sive scripto sive voce invitatio fiat, admonendus parochus est, nisi *intra decem dies* ab accepta invitatione aut renuntiationem exhibuerit, aut efficacibus argumentis causas ad amotionem invocatas falsas esse demonstraverit, ad amotionis decretum esse deveniendum.

## Can. 11.

§ 1. In communicandis argumentis, quibus comprobatur veritas causae ad renuntiationem obtinendam adductae, caveatur, ne nomina patefiant recurrentium vel testium, si ii secretum petierint, aut, etsiamsi secretum non petierint, si ex adiunctis praevideatur, eos vexationibus facile expositum iri.

§ 2. Item relationes ac documenta, quae sine periculo magnae populi offensionis, rixarum vel querelarum palam proferri non possunt, scripto ne patefiant; immo ne verbis quidem, nisi cauto omnino, ne memorata incommoda eveniant.

## Can. 12.

Fas autem parochus est, invitatione cum assignato temporis limite accepta, dilationem ad deliberandum vel ad defensionem parandam postulare. Quam Ordinarius potest iusta de causa, cum examinatorum *consensu*, et modo id non cedat in detrimentum animarum, ad alios decem vel viginti dies concedere.

## Can. 13.

§ 1. Si parochus invitationi sibi factae assentiri et parociae se abdicare statuat, renuntiationem edere potest etiam sub conditione, dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et acceptetur.

§ 2. Fas autem parochus renuntianti est loco causae ab Ordinario invocatae aliam ad renuntiandum allegare sibi minus molestam vel gravem, dummodo vera et honesta sit, e. g. ut obsequatur Ordinarii desiderio.

§ 3. Renuntiatione sequuta et ab Ordinario acceptata, Ordinarius beneficium vel officium vacans ex renuntiatione declaret.

## V. De amotionis decreto.

## Can. 14.

§ 1. Si parochus intra utile tempus nec renuntiationem emittat, nec dilationem postulet, nec causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius, postquam constiterit invitationem ad renuntiandum, rite factam, parochus innotuisse, neque ipsum quominus respondeat legitime impeditum fuisse, procedat ad amotionis decretum, servatis regulis quae in sequentibus canonibus statuuntur.

§ 2. Si vero non constet de superius indicatis duobus adiunctis, Ordinarius opportune provideat, aut iterans parochus invitationem ad renuntiandum, aut eidem prorogans tempus utile ad respondendum.

## Can. 15.

§ 1. Si parochus oppugnare velit causas ad amotionem decernendam invocatas, debet intra utile tempus *scripto* deducere iura sua, allegationibus ad hoc unum directis, ut causam ob quam renuntiatio petitur impugnet et evertat.

§ 2. Potest etiam ad aliquod factum vel assertum quod sua intersit comprobandum, duos vel tres testes proponere, et ut examinentur postulare.

§ 3. Ordinarii tamen est cum examinerum *consensu* eos vel aliquot ipsorum, si idonei sint et eorum examen necessarium videatur, admittere et excutere; vel etiam, si causa amotionis liqueat et testium examen inutile et ad moras nectandas petitem appareat, excludere.

§ 4. Quod si, allegationibus exhibitis, dubium exoriatur quod diluere oporteat, ut tuto procedi liceat, Ordinarii erit cum examinerum *consilio*, etiam parochi non postulante, testes qui necessarii videantur inducere, et parochum ipsum, si opus sit, interrogare.

Can. 16.

§ 1. In examine testium sive ex officio sive rogante parochi inductorum, ea dumtaxat servantur, quae necessaria sint ad veritatem in tuto ponendam, quolibet iudiciali apparatu et *reprobationibus* testium exclusis.

§ 2. Eadem regula in interrogatione parochi, si locum habeat, servetur.

Can. 17.

§ 1. Si parochus intersit et documenta ac nomina testium ipsi patefiant, ipsiusmet erit, si possit ac velit, contra ea quae afferuntur excipere.

§ 2. Quando vero parochus iuxta *can. 9* invitari nequeat ad iura sua deducenda, aut quando iuxta *can. 11* testium nomina et *aliqua* documenta ei manifestari nequeant, ipse Ordinarius curas et industrias omnes adhibeat (seu *diligentias*, ut vulgo dicitur, peragat), ut de documentorum valore et de testium fide iustum iudicium fieri possit.

Can. 18.

§ 1. Ad renuntiationem et amotionem impediendam nefas parochi est turbas ciere, publicas subscriptiones in sui favorem promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare, aliaque agere, quae legitimum iurisdictionis ecclesiasticae exercitium impedire possunt; secus, iuxta prudens Ordinarii iudicium, pro gravitate culpae puniatur.

§ 2. Insuper cum agatur de re ad consulendum animarum bono directa et administrativo modo resolvenda, parochus, nisi legitime impeditus sit, debet ipse per se, excluso aliorum interventu, adstare. Si autem impeditus sit, potest probum aliquem sacerdotem sibi benevisum et ab Ordinario acceptatum procuratorem suum constituere.

Can. 19.

§ 1. Omnibus expletis, quae ad iustam parochi tuitionem pertinent, de amotionis decreto ab Ordinario cum examineribus discutiendum est, et per secreta suffragia iuxta praescripta in *can. 6* res est definienda.

§ 2. Suffragium autem pro amotione nemo dare debet, nisi sibi certo constet, causam parochi denuntiatae vere adesse eamque legitimam.

Can. 20.

§ 1. Si conclusio sit pro amotione, decretum ab Ordinario edi debet, quo generatim statuatur, ratione boni animarum parochum amoveri. Propria autem et peculiaris amotionis causa exprimi potest pro prudenti Ordinarii iudicio, si id expediat et absque incommodis liceat. Mentio tamen semper facienda erit de invitatione facta ad renuntiandum, de exhibitis a parochi allegationibus ac de requisito et obtento examinerum suffragio.

§ 2. Decretum indicendum est sacerdoti; sed promulgari non debet, nisi elapso tempore utili ad interponendum recursum.

Can. 21.

Si conclusio non sit pro amotione, certior ea de re faciendus est parochus. Ordinarius autem ne omittat addere monitiones, salutaria consilia et praecepta, quae pro casuum diversitate opportuna aut necessaria videantur; de quibus maxima ratio habenda erit, si denuo de illius sacerdotis amotione res futura sit.

VI. De actorum revisione.

Can. 22.

§ 1. Contra decretum amotionis datur dumtaxat recursus ad eundem Ordinarium pro revisione actorum coram novo consilio, quod Ordinario et duobus parochis consultoribus constat iuxta § 2, *can. 3*.

§ 2. Recursus interponendus est *intra decem dies ab indicto decreto*; nec remedium datur contra lapsum fatalium, nisi parochus probet, se vi maiori impeditum a recursu fuisse; de qua re videre debet Ordinarius cum examinadoribus, quorum *consensus* requiritur.

## Can. 23.

Interposito recursu, dantur parochus adhuc decem dies ad novas allegationes producendas, iisdem servatis regulis, quae superius in discussione coram examinadoribus statutae sunt, salva dispositione § 4, *can. seq.*

## Can. 24.

§ 1. Consultores, convenientes cum Ordinario, de duobus tantum videre debent, utrum in actibus praecedentibus vitia formae in ea irrepserint quae rei substantiam attingant, et utrum adducta amotionis ratio sit fundamento destituta.

§ 2. Ad hunc finem omnia superius acta et adducta examinare debent atque perpendere.

§ 3. Possunt etiam ex officio ad illa duo memorata discussionis capita in tuto ponenda exquirere et percontari de rebus quas necessario cognoscendas putent, auditis etiam, si opus sit, novis testibus.

§ 4. Parochus tamen ius non habet exigendi, ut novi testes inducantur et examinentur; nec ut sibi dilationes ulteriores ad deducenda sua iura concedantur.

## Can. 25.

§ 1. Admissio vel reiectio recursus maiore suffragiorum numero est decernenda.

§ 2. Adversus huius consilii resolutionem non datur locus ulteriori expostulationi.

## VII. De amoti provisione.

## Can. 26.

§ 1. Sacerdoti ex facta sibi invitatione renuntianti, aut administrativo modo a paroecia amoto, Ordinarius pro viribus consulat, aut per translationem ad aliam paroeciam, aut per assignationem alicuius ecclesiastici officii, aut per pensionem aliquam, prout casus ferat et adiuncta permittant.

§ 2. In provisionis assignatione Ordinarius examinadores, vel parochos consultores si usque ad eos causa pervenerit, audire ne omittat.

## Can. 27.

§ 1. Paroeciam Ordinarius ne assignet, nisi dignus idoneusque ad eam regendam sit sacerdos; proponere autem eidem potest paroeciam paris, inferioris aut etiam superioris ordinis, prout aequitas et prudentia videantur exigere.

§ 2. Si agatur de pensione, hanc Ordinarius ne assignet, nisi servatis de iure servandis.

§ 3. In pari condicione, renuntianti magis favendum in provisione est, quam amoto.

## Can. 28.

§ 1. Negotium de provisione sacerdotis potest Ordinarius reservare post expletam causam amotionis, et generatim quam citius expediendum.

§ 2. Sed potest etiam in ipsa invitatione ad renuntiandum vel separatim litteris, pendente amotionis negotio, vel in ipso amotionis decreto provisionem hanc proponere et indicare, si expediens iudicaverit.

§ 3. In quolibet casu quaestio de provisione futura sacerdotis non debet commisceri cum quaestione praesenti de amotione a paroecia, neque illa hanc impedire aut remorari, si bonum animarum exigat, ut expediatur.

## Can. 29.

§ 1. Sacerdos qui renuntiavit, aut a beneficio vel officio amotus fuit, debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia, quae ad paroeciam pertinent, eius oeconomus regulariter tradere. Et si moras illegitime nectat, potest ecclesiasticis sanctionibus ad id cogi.

§ 2. Quod si agatur de infirmo, Ordinarius eidem permittat usum etiam *exclusivum*, ubi sit opus, paroecialium aedium, usque dum possit pro prudenti eiusdem Ordinarii iudicio commode alio transferri. Interim vero novus paroeciae rector aliquam aliam temporariam habitationem in paroecia sibi comparari curet.

## VIII. De iis qui huic legi subiacent.

## Can. 30.

Superius constitutis regulis, — adamussim applicandis iis omnibus, qui paroeciam, quovis titulo, ut proprii eius rectores obtinent, sive nuncupentur vicarii perpetui, sive *desservants*, sive alio quolibet nomine, — locus non est, quoties paroechia committatur curae alicuius sacerdotis qua oeonomi temporalis vel vicarii ad tempus, sive ob infirmitatem parochi, sive ob vacationem beneficii, aut ob aliam similem causam.

## Can. 31.

§ 1. Si parochus in ius rapiatur ut reus criminis, pendente criminali iudicio, sive coram ecclesiastica, sive coram civili potestate, locus non datur administrativae illius amotioni, sed expectandus est exitus iudicii.

§ 2. Interim tamen, si agatur de crimine, quod infamiam facti inducat, Ordinarius parochum prohibere potest, quominus curam animarum exerceat ac temporalem administrationem beneficii gerat; ea vero munia cum congrua fructuum assignatione vicario aliive a se eligendo committat.

§ 3. Iudicio autem criminali finito, locus erit restitutioni parochi, vel eius administrativae amotioni, vel canonicae destitutioni, prout iustitia exigat et adiuncta ferant.

## Can. 32.

Ordinarii nomine pro omnibus quae in hoc titulo statuuntur non venit Vicarius Generalis, nisi speciali mandato ad hoc sit munitus.

Iis autem cito exequendis, quae in hoc decreto statuuntur, SS. mus Dominus Noster mandat, ut omnes et singuli Ordinarii quamprimum parochos aliquot consultores, iuxta praescripta *can. 4*, constituent. Quod vero ad examinatores attinet, si hi in dioecesi, sive in synodo, sive extra synodum electi, habeantur, statuit, ut, de cathedralis capituli vel consultorum dioecesanorum consilio, aut eos in officio confirmare (hac tamen lege, ut post quinquennium a munere cessent), aut ad novam examinatorum electionem, servata regula *can. 4*, devenire possint, prout prudentia et adiuncta

suaserint. Deficientibus vero in dioecesi examinatoribus, ad eorum electionem, servatis superius statutis, sine mora deveniant.

Praesentibus valituris, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, die 20 Augusti 1910.

C. Card. DE LAI, *Secretarius*.

L. ✠ S.

SCIPIO TECCHI, *Adessor*.

B. — *S. Congregationis Consistorialis declarationes circa Decretum « Maxima cura »* (1).

Cum nonnulli Ordinarii quaedam dubia circa vim et interpretationem decreti « Maxima cura » proposuerint, Sacra Congregatio Consistorialis, mandante SS. mo Domino Nostro Pio PP. X, eisdem dubiis die 3 Octobris 1910 respondit prout infra:

1. Utrum examinatores eligendi iuxta praescriptum *can. 4* adhiberi possint in examinibus pro collatione beneficiorum atque sint unum et idem ac examinatores de quibus statuit Trid. Synod. *cap. 18. sess. 24 de reform.*; an potius sint distincti et adhibendi dumtaxat pro amotione decernenda.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

2. An examinatores, sive synodales, sive prosynodales, nunc existentes, per idem decretum a munere cessent.

R. Servetur dispositio finalis decreti.

3. Utrum Ordinarii, quando synodus non celebratur, adhuc indigeant indulto S. Sedis pro eligendis examinatoribus.

R. Negative.

4. Utrum Ordinarii possint eligere aliquem sacerdotem regularem in examinatore vel consultorem.

R. Affirmative, dummodo sacerdos regularis parochus sit, si in consultorem eligatur.

5. Utrum eligere possint extradioecesanum.

R. Affirmative in parvis dioecesibus, aut quoties iusta aliqua causa intercedat.

(1) *Acta Apostolicae Sedis*, II (1910), p. 854 sq.



6. Utrum Ordinarius inter examinadores accensere possit Vicarium suum Generalem.

R. Non expedire.

7. Utrum inter examinadores aliquot parochi accenseri possint.

R. Affirmative.

8. Utrum una eademque persona esse possit simul examinador et consultor.

R. Affirmative, sed non in eadem causa. Generatim tamen expedit, ne plura officia in una eademque persona cumulentur.

9. Utrum consultores dioecesani, de quibus in § 2, *can.* 4, quorum consensus (quoties deficiat capitulum cathedrale) requiritur in electione examinerum et parochorum consultorum, iidem sint ac collegium praefatum parochorum consultorum.

R. Negative; sed consultores dioecesani stant loco capituli in aliquibus dioecesibus, ubi cathedrale capitulum erigi adhuc non potuit.

10. Utrum in computanda antiquitate electionis ratio habenda sit electionum praecedentium; an dumtaxat electionis praesentis, ita nempe, ut qui bis vel ter electus iam fuerit, antiquior non habeatur illo, qui prima vice electus sit, dummodo pari die electio evenerit.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

11. Utrum error in computanda antiquitate et admissio aliquius examineris seu consultoris, hac de causa illegitima, inducat nullitatem actorum.

R. Negative.

12. Utrum iusiurandum in *can.* 7 praescriptum debeat singulis vicibus in singulis causis renovari, an sufficiat, illud semel emittere post electionem aut in primo conventu.

R. Sufficit semel emissum, durante munere, dummodo pro omnibus causis fuerit emissum. Potest tamen Ordinarius exigere ab examineribus et consultoribus, ut illud renovent in casibus particularibus, si id expediens iudicaverit.

C. Card. DE LAI, *Secretarius.*

L. ✕ S.

Scipio Tecchi, *Adessor.*

C. — *Episcoporum regni Borussici, Fuldae congregatorum, explicationes in Decretum S. Congregationis Consistorialis diei 20 Aug. 1910* (1).

Dum commissio pontificia codici iuris canonici conficiendo sedulam operam impendit, rursus pars novi codicis promulgatur. Solemnitates matrimonii nova ordinatione et novis sanctionibus iuxta exigentias temporum munirentur oportuit, id quod Decreto « *Ne temere* » iam factum est. Sancta Sedes insuper opportunum duxit, novas ordinationes de amotione administrativa parochorum Decreto S. Congr. Consistorialis diei 20 Augusti 1910 promulgare, antequam novus codex iuris canonici publici iuris fieret. Iure meritoque colligere possumus, in novo codice etiam hanc materiam definitive conceptum iri, adhibitis experienciis et experimentis interim factis. Eousque abhinc vigent dispositiones Decreti 20 Augusti 1910.

Hoc autem Decretum normas iuris, quae dudum in vigore erant, explicat et amplificat. Etenim iam Decretales Gregorii IX in c. 5, III, 19, statuunt: *Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut, quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.* Canonistae tum veteres tum recentiores hanc doctrinam modo scientifico interpretati sunt et defenderunt, inter alios *Reiffenstuel* (lib. III, tit. 19, n. 38) et *Schmalzgrueber*. In eandem sententiam S. Congregatio Concilii huiusmodi causas, quotquot ei deferebantur, diiudicabat, item S. Congregatio Episcoporum et Regularium.

Ipsam *Concilium Tridentinum*, licet stabilitatem parochi et parochum peculiarem et perpetuum exigat (Sess. XXIV, de ref. c. 13, Sess. XIV de ref. c. 9 et Sess. XXIV de ref., c. 17), statuit, parochum ob scandalosam vitae rationem (Sess. XXI, de ref., c. 6 et Sess. XXV, de ref., c. 14) vel ob negligentiam in residendo (Sess. XXIII, de ref., c. 1 et Sess. XXIV, de ref., c. 12) ab officio suo removeri posse. Insuper ex iure vigenti ob certa

(1) Archiv. f. k. Kirchenrecht, t. 91, p. 497 sq. Instructio ab Episcopis exarata est germanice; versio proinde latina est privatae tantum auctoritatis, scil. editoris.

delicta canonica infligitur privatio beneficii uti poena latae sententiae.

Remotio proinde oeconomica seu amotio parochi administrativa non omnino est aliquid novum. Nam causae amotionis, quas Decretum diei 20 Augusti 1910 enumerat, partim iam antea sufficiebant ad parochos transferendos permutandave beneficia necnon ad deputandos parochis vicarios seu coadiutores. Finis praecipuus novi Decreti eo tendit, ut cura animarum cum fructu exercentur; quare nova lex nequaquam necessario supponit culpam, sed nititur principio: *salus animarum suprema lex est*. Uno verbo, nova ordinatio non tam poenas infligere, quam fidelium saluti providere intendit. Id enim manifeste ostendunt dispositiones can. 20, § 1 et can. 27, § 1. Nova lex igitur proceduram, quae antehac in usu erat, dumtaxat supplet additis novis amotionis causis atque exacto procedendi modo qui celeriter expediri possit.

1. Causas amotionis quod spectat, Decreto determinatum est, quatenam in *causa necessaria* Decretalium contineantur causae, de quibus in singulis casibus profecto diligenter est inquirendum. Inter alia:

in causa can. 1, n. 1° audiendus est etiam *curator* iudicialiter constitutus, si quis habeatur;

in causa can. 1, n. 2° *imperitia* significat imparitatem ad regendam paroeciam, dum *ignorantia* defectus scientiae est, qui attento studiorum curriculo, quo utuntur clerici dioecesium Germaniae, vix occurret;

in causa can. 1, n. 3° adiumentum consiliumve *medici* adhibendum est, neque statim amotio locum habeat, sed primo deputandus est coadiutor vel vicarius et non nisi *ultimo* amotio decernenda;

in causa can. 1, n. 4° requiritur *odium* plebis, dum canonistae hucusque meram *aversionem* plebis ad decernendam amotionem oeconomicam sufficere docebant. Odium tamen plebis tunc tantum est causa amotionis, si a) cura animarum cum fructu iam nequeat exerceri, et b) odium prudenter praevideatur intra breve tempus non esse cessaturum. Quae condiciones si verificantur, odium plebis utique est causa amotionis, etsi sit iniustum et non universale.

Neminem fugit, Decretum ad id inniti, ut in omnibus quos enumerat casibus ultimum remedium, quoad fieri potest, evitetur.

2. Causae can. 1, n. 7°, 8° et 9° intra limites hoc Decreto constitutos indolem *poenae disciplinaris* praeserunt, uti videre est etiam ex eo, quod praemittendae sunt monitiones canonicae. (Hae autem monitiones utpote monitiones *canonicae* forma legitima in scriptis redigendae sunt.) Ob has causas antehac solum processus *disciplinaris* institui poterat, dum eadem causae ex novo Decreto sufficiunt ad instaurandam proceduram amotionis.

3. Proceduram praecedere debet *invitatio* parochi facienda ut renuntiet, quae *scripto* exarari debet (c. 2, § 1 et c. 10, § 1); si vero opportunius censeatur, invitatio *verbis* fieri potest, adstante aliquo sacerdote, qui actuarii munere fungatur ac de ipsa invitatione documentum redigat (c. 10, § 1).

4. A decisione unius instantiae ad alteram *appellari* potest (c. 3, § 2), ita ut procedura *tria stadia* comprehendat: proceduram praeviam, proceduram principalem et proceduram revisionis.

5. In his singulis causae stadiis *Ordinarius* est competens, at decisio semper ferenda est per vota maiora alicuius *collegii* (c. 3, § 1 et 2).

6. Pro invitatione et procedura principali duo assessores ex *examinatoribus synodalibus vel prosynodalibus* (c. 3, § 1), pro revisione decreti amotionis duo *parochi* (ibid. § 2) assumendi sunt. Hinc duo elenchi assessorum constitui debent.

7. Institui potest *nova* electio assessorum pro procedura praevia et procedura principali. Hi assessores post *quinquennium* a sua nominatione officio cadunt (in fine Decreti 20 Aug. 1910), possunt tamen denuo eligi (c. 4, §§ 1-5).

8. Assessores pro instantia revisionis assumendi sunt ex *parochis*, possunt eligi etiam inter sacerdotes *regulares*, qui sunt *parochi* (Decret. S. Congr. Consist. diei 5 Oct. 1910, n. 4); eodem modo ac examinatores post quinquennium officio cadunt (c. 4, § 4). In parvis dioecesibus potest eligi etiam aliquis sacerdos *extra-dioecesanus* in examinatore vel consultorem (Decret. S. Congr. Consist. diei 5 Oct. 1910, n. 5).

9. Eligere assessores spectat ad *Ordinarium*, sed *de consensu* capituli cathedralis; idem valet de remotione assessorum, si quae durante quinquennio necessaria videatur (c. 4, §§ 1-5). Assessores

iuramento praestito sub gravi servare debent *secretum officii* (c. 7, § 1). Sufficit autem iusiurandum *semel* ante susceptionem officii emissum, dummodo pro omnibus causis fuerit emissum; potest tamen Ordinarius in casibus particularibus iuxta prudens suum arbitrium exigere, ut illud renovetur (Decret. S. Congr. Consist. diei 5 Oct. 1910, n. 12).

10. Constitui debet *clenchus* tum examinatorum, sive synodaliū, sive prosynodaliū, tum consultorum, ex quibus Ordinarius assumat duos seniores ratione electionis, et in pari electione seniores ratione sacerdotii, vel, hac deficiente, ratione aetatis (c. 5, § 5). Quare Decretum obligat Ordinarium ad servandum *turnum legitimum*.

11. Sufficiens numerus (10-12) examinatorum et consultorum praesto sit oportet, quia tum Ordinarius tum parochus, cuius causa agitur, assessores secundum communes normas processuales, tamen non nisi ante proceduram, tamquam suspectos *recusare* possunt. Insuper accidere potest, ut unus alterve assessor a fungendo suo munere *physice* impediatur. In locum assessoris impediti vel recusati succedunt examinatores vel consultores ordine succedentes (c. 5, § 2 et 3). *Error* autem, si qui in computanda antiquitate alicuius examinatoris vel consultoris intercesserit, proceduram non reddit *invalidam* (Decret. S. Congr. Consist. diei 5 Oct. 1910, n. 11).

Non expedit, *Vicarium Generalem* accensere inter examinatores (Decret. S. Congr. Consist. diei 5 Oct. 1910, n. 6). Aliquot *parochi* autem inter examinatores accenseri possunt (ibid. n. 7). Praeterea una eademque persona potest esse *simul* examinador et consultor, sed non in *eadem* causa. Generatim tamen id non expedit (Decret. S. Congr. Consist. diei 5 Oct. 1910, n. 8).

12. In certis casibus a Decreto enumeratis Ordinarius procedere debet *de consensu* assessorum, hinc rem dirimere debet pluralitate suffragiorum secretorum. In aliis casibus solum *consilium* assessorum audire debet (c. 6, §§ 1 et 2).

13. De actis et deliberatis *protocollum* ab omnibus subscribendum confici debet (c. 6, § 3).

14. Assessores super omnibus, quae rem tractatam spectant, *secretum* servare debent, quod si violaverint, *puniuntur* et insuper

tenentur ad sarcienda *damna*, si quae fuerint inde sequuta (c. 7, § 2).

15. Si agatur de *occulto* delicto, observari debent certae cautelae (c. 10, §§ 3 et 4).

16. Tales cautelae praescribuntur etiam quoad *testes, relationes ac documenta* (c. 11, §§ 1 et 2).

17. Parochus cuius res agitur *personaliter* comparere debet. Si autem impeditus sit, potest aliquem sacerdotem ab Ordinario acceptatum *procuratorem* sibi constituere (c. 18, § 2).

18. Si decisio feratur pro amotione, ab Ordinario edi debet decretum, in quo praedicetur *ratio boni animarum*, exprimatur *causa amotionis*, nisi iuxta prudens arbitrium Episcopi obstant graves rationes, semper tamen mentio fiat de *invitatione* facta ad renuntiandum, de *exceptionibus* a parochō propositis et de obtento examinatorum *suffragio* (c. 20, § 1).

Decretum amotionis *intimandum* est sacerdoti, sed *promulgari* nequit nisi elapso termino ad interponendum recursum concessio (ibid., § 2), qui terminus proinde quoad ipsam publicationem habet effectum *suspensivum*.

19. Recursus interponendus est intra *decem dies* ab indicto decreto (c. 22, § 2); interpositus autem recursus producit etiam effectum *suspensivum*, quo usus vigens ulterius mitigatus est.

20. In instantia revisionis cognosci non debet nisi de eo, utrum in prima instantia *substantiales defectus in modo procedendi* commissi fuerint et utrum adducta *causa amotionis certo adsit*. Testes non examinantur, nisi instantia revisionis id necessarium censeat. Decisio autem huius instantiae est *definitiva*, adversus quam nullum aliud datur remedium iuris (c. 24, § 1 sq. et c. 25, § 2).

21. Parochus a paroecia amotus vel transferendus est in *aliam* paroeciam, quae tamen non *paris* ordinis esse debet (c. 27, § 1), vel ei assignandum est aliquod ecclesiasticum *officium* aut *pensio* a statutis dioecesanis determinata (c. 27, § 2), quo in casu tractandus est uti *emeritus*. Parochis qui *sponte* renuntiarunt in provisione magis favendum est quam amotis (c. 27, § 3).

22. Quaestio de *provisione futura* sacerdotis non debet commisceri cum quaestione de *amotione* a paroecia, neque haec ab illa dependere (c. 28, § 3).

23. In exequenda decisione, ubi opus sit, sacerdotum *infirmorum* habeatur ratio (c. 29, § 2).

24. Decretum applicatur omnibus sacerdotibus, qui aliquam paroeciam *per se et titulo perpetuo* administrant, non autem iis, quibus administratio paroecia *ad tempus* committitur (c. 30).

25. Si parochus in crimen vocetur, sive coram foro ecclesiastico, sive coram foro saeculari, procedura amotionis durante processu criminali non debet institui. Quodsi parochus per accusationem *infamis* factus est, Ordinarius absque assessoribus suspensionem *provisoriam* ab ordine infligere et parochi administrationem temporalem beneficii auferre potest usque ad exitum processus. Innocentia parochi probata, suspensio tollitur; si vero parochus, non obstante sententia absolutoria, infamiam incurrerit, ita ut una ex novem causis amotionis adhiberi possit, procedura amotionis est instituenda. Quando eius condemnatio amotionem ab officio parochi exigit, haec locum habere debet; si autem hanc amotionem non includat, procedura amotionis administrativa contra condemnatum adhibenda est, si una ex illis novem causis adsit. Attamen haec procedura amotionis instaurari et ad exitum perducitur potest iam *ante* processum, ita ut *post* amotionem inflictam processus disciplinarius instituatur. Nam delictum disciplinare per se non vindicatur per amotionem administrativam. Sed id dependet a prudenti arbitrio Ordinarii.

26. *Vicarius Generalis* nequit agere nomine Ordinarii, nisi munitus sit mandato speciali (c. 32).

27. Processus *disciplinarius* et *criminalis* in foro ecclesiastico et imposterum viget (exordium Decreti, incis. 3), quocirca valet etiam, usque ad promulgationem novi codicis, *Instructio* S. Congr. Epp. et Reg. quoad modum procedendi oeconomico in causis disciplinariis et criminalibus clericorum, edita die 11 Iunii 1880.

Adde, quod recursus adversus decretum amotionis ob *defectus in modo procedendi* ad S. Congregationem Concilii interponi possit.

## APPENDIX I.

*Instructio S. Congr. Epp. et Reg. pro ecclesiasticis Curiis quoad modum procedendi oeconomico in causis disciplinariis et criminalibus clericorum, edita die 11 Iunii 1880 (1).*

Sacra haec EE. et RR. Congregatio, mature praesenti Ecclesiae condicione perpensa, quae pene ubique impeditur, quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et considerato quoque defectu mediiorum aptorum pro regulari Curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere, ut formas magis oeconomicas adhibere valeant in exercitio suae disciplinariae iurisdictionis super clericis. Ut autem tota iustitiae ratio sarta tectaue maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, oportunitum censuit sequentes emanare normas a Curiis servandas:

I. Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi, super eorundem vitae rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad praecavendas in eisdem et eliminandas ordinis perturbationes.

II. Ex his remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur, ut impediunt quominus malum adveniat, ut scandalum stimuli, occasiones voluntariae, caesaeque ad delinquendum proximae removeantur. Altera finem habent revocandi delinquentes ut sapiant, reparentque admissi criminis consequentias.

III. Conscientiae et prudentiae Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, iuxta canonum praescriptiones et casuum adiutorumque gravitatem.

IV. Mediis, quae praeservant, praecipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

(1) *Instructio* edita est italico sermone; versio latina prodiit in ephemeride « Acta Sanctae Sedis », quam hic transcribimus.

V. Has provisiones praecedere debet summaria facti cognitio, quae ab Ordinario notanda est, ut ad ulteriora procedere, quatenus opus sit, et certiore reddere queat superiorem auctoritatem in casu legitimi recursus.

VI. Canonicae monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta, etiam per epistolam aut per interpositam personam, sive in forma legali, ita tamen ut de earundem executione constet ex aliquo actu.

VII. Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit Curiae, ut delinquenti analogum iniungatur praeceptum; in quo declaretur, quid eidem agendum aut omittendum sit, cum respondentis poenae ecclesiasticae comminatione, quam incurret in casu transgressionis.

VIII. Praeceptum intimatur praevento a cancellario coram Vicario Generali, sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis.

§ 1. Actus subsignatur a partibus praesentibus et a praevento quoque, si velit.

§ 2. Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum, quatenus id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur.

IX. Quoad poenalia media animadvertant rev.mi Ordinarii, praesenti Instructione haud derogatum esse iudiciorum solemnitatibus, per sacros canones, per apostolicas constitutiones et alias ecclesiasticas dispositiones imperatis, quatenus eadem libere efficaciterque applicari queant; sed oeconomicae formae consulere intendunt illis casibus Curiisque, in quibus solemnes processus aut adhiberi nequeant, aut non expedire videantur. Plenam quoque vim servat suam extrajudiciale remedium ex informata conscientia pro criminibus occultis, quod decrevit S. Trid. Synodus in *Sess. XIV, cap. 1 de ref.*, adhibendum, cum illis regulis et reservationibus, quas constanter servavit pro dicti capituli interpretatione S. C. Concilii in pluribus resolutionibus et praesertim in Bosnien. et Sirmien. 20 Dec. 1873.

X. Quum procedi oporteat criminaliter, sive ob infractionem praecepti, aut ob crimina communia vel legum Ecclesiae violationem, processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus.

XI. Processus instruitur ex officio aut in sequelam supplicis libelli, aut notitiae alio modo a Curia habitae, et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia veritas detegatur, et cognitio tum criminis, tum culpae aut innocentiae accusati exurgat.

XII. Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo ecclesiastico, adstante actuario.

XIII. Unicuique Curiae opus est procuratore fiscali pro iustitiae et legis tutela.

XIV. Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud praesto sit apparitorum Curiae opera, supplebitur exhibitione eorundem expleta per qualificatam personam, quae de facto certioreret, sive eas transmittendo ope commendationis penes tabellariorum officium illis in locis, in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii.

XV. Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extrajudicialibus, vel testium depositionibus, et quoad titulum transgressionis praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis perfectorum modis enuntiatis art. VII et VIII.

XVI. Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat, aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.

XVII. Personae, quas examinare expediat, semper audiuntur separatim.

XVIII. Testes ad probationem aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub iuramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti.

XIX. Testium absentium aut in aliena dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo apposita facti adiuncta. Auctoritas requisita petitioni respondet, servando praesentis Instructionis normas.

XX. Quoties ob facta aut adiuncta essentialiter utilia merito causae, maxime opportunum esset, testes interrogare qui examini subiici nequeant, eo quod censeatur haud expedire, ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorundem fit in actibus, et cura-

tur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium qui de auditu, aut alia ratione noverint id quod exquiritur.

XXI. Cum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati culpam constituendam, vocatur iste ad examen.

XXII. In indictione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collectae, ut parari valeat ad respondendum.

XXIII. Quando autem ob accusationum qualitates, aut ob alia adiuncta prudens non sit, in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur, eundem ad examen vocari, ut sese excuset in causa, quae ipsum respiciat uti accusatum.

XXIV. Si iudicio sistere abnuat, iteratur indictio, in qua eidem praefigitur congruus peremptorius terminus, eique significatur quod, si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax, et pro tali in facto aestimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento istam quoque posthaberet intimationem.

XXV. Si compareat, auditur in examine, et quatenus responsiones faciat alicuius momenti, debent istae, quantum fieri potest, iudiciali examini subici.

XXVI. Proceditur inde ad contestationem facti criminosi et determinationem rationum, quibus persuadetur, accusatum reapse criminis fuisse auctorem lapsumque in relativis poenis canonicis.

XXVII. Quum accusatus tali modo habeat plenam cognitionem actorum, quae in processu adversus se habita sunt, accusationi omni ex parti respondere valet, et iure pollet defendendi semetipsum, aut per se ipsum aut per advocatum.

XXVIII. Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam defensionem scripto exaratam; praecipue quando ob dispositionem art. *XXIII* nequiverit se parare ad respondendum, in continenti, impactae accusationi.

XXIX. Expleto processu actorum, instructor restrictum conficit essentialum conclusionum eiusdem.

XXX. In die, qua causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se praesentare et defendere ab alio sacerdote aut laico patrocinatore antea approbatis ab Ordinario.

XXXI. Quatenus praeventus constituere defensionem renuat, Ordinarius legitimae defensioni prospicit, constituendo advocatum ex officio.

XXXII. Defensor caute notitiam haurit processus et restricti apud Curiae cancellariam, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quae ante propositionem causae exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subiicitur oneri secreti iurati servandi, quoties Ordinario videatur indolem causae id expostulare.

XXXIII. Transmittitur dein procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo ex officio functo, uterque Ordinario tradatur, qui plena causae cognitione adepta, diem constituit in qua disceptanda et resolvenda sit, iubens ut accusatus certior de hoc fiat.

XXXIV. Die constituta proponitur causa coram Vicario Generali, interessentibus procuratore fiscali, defensore et cancellario.

XXXV. Post votum procuratoris fiscalis et deductiones defensionis profertur sententia, dictando partem dispositivam cancellario cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicae sanctionis, accusato applicatae.

XXXVI. Sententia indicitur praevento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam competentem.

XXXVII. Pro appellatione servantur normae statutae a Const. « *Ad militantis* » s. m. Bened. XIV, 30 Martii 1742, aliaque emanatae ab hac S. Congr. Decreto 18 Decemb. 1835, et littera circulari d. 1 Aug. 1851.

XXXVIII. Comparitio pro appellatione facienda est infra terminum decem dierum a notificatione sententiae, quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu versatur.

XXXIX. Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnia acta causae originalia, id est processum, restrictum, defensiones et sententiam.

XL. Auctoritas ecclesiastica superior, capta cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti, ut infra terminum viginti dierum defensorem constituat, qui approbari debet ab eadem superiore auctoritate.

XLI. Elapso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellantem nuntium misisse appellationis beneficio, et haec consequenter perempta declaratur a superiore auctoritate.

XLII. Quum appellatio producitur a sententia alicuius Curiae episcopalis ad metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et

decisione causae sequitur normam procedendi in hac Instructione traditam.

XLIII. Si contingat quod clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina communia subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis, hoc in casu Ordinarius summariam sumit criminosi facti cognitionem atque perpendit, an ipsum, ad tradita per ss. canones, locum faciat infamiae, irregularitati, aut alii ecclesiasticae sanctioni.

§ 1. Donec iudicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est, quod Ordinarius limitet se ad media provisoria.

§ 2. Expleto tamen iudicio et libero reddito accusato, Curia iuxta exitum informationum, ceu superius assumtarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis Instructionis.

XLIV. In casibus dubiis et in variis practicis difficultatibus, quae contingere possunt, Ordinarii consulant hanc S. Congregationem ad vitandas contentiones et nullitates.

## APPENDIX II.

### *Formulae pro exarandis actis iudicialibus processus criminalis (1).*

#### 1. *Formulae sententiae declaratoriae censurarum.*

Visis actis et decretis visitationis aerarii ecclesiastici in parochia N., sententia revisorum computorum, aliisque iuribus exhibitis per procuratorem aerariorum parochialium, ex quibus constat, parochum N. N., administratorem dicti aerarii, pecuniam in summa... propria auctoritate contra formam Bullae Pauli V. divertisse, immo et in proprios usus dolose convertisse, et usurpare praesumpsisse, visis monitionibus et praeceptis contra eum executis pro reintegratione aerarii, quibus parere contempsit, dicimus et declaramus dictum N. N. parochum incurrisse excommunicationem maiorem, Papae reservatam, contentam tam in Bulla, quam in Conc. Trid. Sess. XX. c. 11 de ref., et ideo esse publice denuntiandum, prout denuntiari volumus et mandamus, cui anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu dictum aerarium reintegraverit et a R. Pontifice absolvi meruerit.

L. ✕ S.

N. Episcopus.

#### 2. *Formula sententiae editae ex informata conscientia.*

Constato Nobis presbyterum N. esse reum criminis, eum ob causas, quae animum nostrum digne movent et de quibus Deo et Sedi Apostolicae, cum habuerimus in mandatis, rationem reddere debemus, ex informata conscientia a divinis suspendimus per duos menses... et suspensum declaramus ac ei decretum suspensionis intimari mandamus.

N. Episcopus.

N. Actuarius.

(1) Formulas desumimus ex libris cl. *Monacelli*, Formul. leg. pract. fori eccl., et cl. *Lega*, De iudiciis eccl., t. IV. p. 621 sq., quae profecto diversis adiunctis aptari possunt, cum nequaquam sint officiales.



3. *Formula sententiae condemnatoriae in censuras.*

Visa instantia R. P. D. parochi ecclesiae parochialis S. N. loci N. super concubinato publico capellani sui N. N., visis monitionibus ter contra eum executis, visaque et attentata eiusdem capellani contumacia, dicimus et declaramus eundem vi Conc. Trid., Sess. XXV c. 14 de ref., esse excommunicandum et excommunicatum esse denuntiamus. Datum etc.

N. Episcopus.

N. Actuarius.

4. *Decretum suspensionis.*

Visa et attentata informatione capta, ex qua constat, presbyterum N. tabernas frequentare venarique solitum, monitioni sibi factae, ut a talibus occupationibus prohibitis abstineret sub poena suspensionis, non paruisse, immo adhuc tabernas frequentare et venari, eum a divinis suspendimus per tres menses et suspensum declaramus, denuntiamus et eidem intimari mandamus. Datum etc.

N. Vicarius Generalis.

N. Actuarius.

5. *Formula vocandi testes per litteras privatas ut examinentur pro informatione Curiae.*

Reverende Domine! Cum in quadam causa, quae coram Nobis in Curia episcopali vertitur, necessaria sit praesentia tua, ad dictam Curiam de nonnullis informandam, non graveris te a Nobis citari ad comparandum die 5 mensis proximi, hora 10 matutina, in praefata Curia. Et interim incolumem te Deus servet.

Datum in Curia episcopali, die... mensis... anno...

N. Vicarius Generalis.

(Talem citationem fieri postulat promotor iustitiae, qui inquisitionem in aliquod praesumptum crimen perficere debet. Prima verba pro qualitate personae citatae varianda esse, per se patet. In citationibus autem laicorum semper adhibenda est lingua vulgaris.)

Si vocatus citationi non pareat, recurrendum est ad citationem iuridicam proprie dictam, quae tuta via (cfr. pag. 65) intimari debet.)

6. *Formula citationis iuridicae testium pro informatione Curiae antequam constitutus sit reus.*

Nos N., Vicarius Generalis Reverendissimi N. Episcopi, requirimus, monemus et citamus testem N. N. (*ibi ponatur eius nomen, atque addantur poenae comminatae, si ita iudici visum fuerit, verbi gratia*: sub poena excommunicationis, *vel si sit clericus*: sub poena suspensionis ipso facto incurrendae), ut die... huius mensis compareat personaliter in episcopali Curia, coram me Vicario Generali, iuraturus et depositurus pro informanda Curia, in causa quadam nunc apud dictam Curiam vertente; et mandamus nuntio nostro publico N., ut dictam citationem supra nominato testi personaliter denuntiet.

Datum etc.

N. Vicarius Generalis.

N. Actuarius.

(Citatio testium, qui extra locum tribunalis habitant, hodie optime fit per epistolam a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis. — Praedictum decretum citationis in actis asservandum est, citato vero transmittitur copia ab actuario confecta et a Vicario Generali subscripta.)

7. *Formula citandi testes iam citato et constituto reo.*

*Potest esse eadem ac praecedens usque ad verba*: iuraturus ac.... *pro quibus scribatur hoc vel simili modo*: iuraturus ac depositurus (*vel si iam deposuerit*: suamque depositionem repetiturus) in causa criminali, quae apud dictam Curiam vertitur contra Andream N. prout in actis. Et mandamus nuntio nostro publico N., ut dictam citationem supra nominato testi denuntiet.

Datum etc.

N. Vicarius Generalis.

N. Actuarius.

8. *Formula citationis, quae triplici monitorio aequivaleat ad effectum testem puniendi ut contumacem, si comparere recuset.*

Nos Vicarius Generalis... (*et reliqua ut in formula num. 6, usque ad verba*: apud dictam Curiam vertente, *quibus addatur*:)

Volumus autem, ut huius nostrae citationis libellus vim canonici monitorii obtineat, proinde nominato testi assignamus sex dies, quorum duos pro primo, duos pro secundo et duos pro tertio et peremptorio termino statuimus, a die praesentationis praesentium ipsis personaliter factae computandos; intra quos si (nulla legitima causa praepeditus) non comparuerit coram Nobis, noverit Nos contra ipsum ut contumacem, ad formam iuris, nulla ulteriore citatione praevia, esse processuros. Datum etc.

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

9. *Formula litterarum remissorialium pro habenda depositione testis in aliena dioecesi commorantis.*

(In actis notatur, testem Andream N., qui necessario examinandus sit, commorari in dioecesi N., et consequenter reverendum N. Vicarium Generalem per sequentes litteras remissoriales reverendum N., Vicarium Generalem et ordinarium illius dioecesis iudicem, rogavisse, ut testem examinet:)

Reverendissime et colendissime Domine. — Necessarium cum mihi sit habere testimonium domini N., in dioecesi N. commorantis, in causa quadam, quae coram me actitatur, teque ordinarium in dicta dioecesi iudicem existere dignoscatur, visum est auxilium tuum requirere. Quapropter omni maiore, qua possum, instantia rogo, ut praedictum dominum N. coram te comparere facias eumque iuridice, ad nostrae Curiae praxis normam, examinare velis, nempe ipsius testimonium iuratum excipiente notario legitime creato et in scripturam publicam redigente; et ad me ipsius depositionem transmittere. Articuli porro interrogationis sunt insequentes (*et ibi scribens easdem interrogationes ponat, quas ipse faceret, si testem examinaret*). Interim tuo me famulatu reverenter offerens, rogo ut te Deus servet incolumem. Datum etc.

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

10. *Formula tenenda a iudice ad quem missae sunt litterae remissoriales, ut testem examinet.*

In nomine Domini. Amen. Cum reverendus N., reverendissimi Episcopi N. Vicarius Generalis, recepisset a reverendo N., in dioe-

cesi N. Vicario Generali et ordinario iudice, quasdam litteras remissoriales, quae incipiunt... et desinunt... et sunt tenoris sequentis, videlicet (*ibi litterae describantur*), ideo praefatus reverendus N. Vicarius Generalis decrevit, prout de iure, eas executioni demandare. Quapropter me adhibito infrascripto Curiae episcopalis actuario statuit ad formam iuris examen, de quo fuit rogatus, instituere. Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus fuit dominus N. et interrogatus super primo articulo respondit... Super secundo respondit.. (*Postea ponuntur clausulae, quibus solet semper concludi examen testium. Acta autem sigillata transmittantur ad iudicem qui remissorialem dedit*).

11. *Formula sententiam ferendi contra contumacem testem.*

Cum dominus N. ad comparendum coram Nobis ter iuridice citatus fuerit, nempe die... mensis... anni..., et die... mensis eiusdem anni, et die... mensis... dicti anni (*vel: ad comparendum coram Nobis monitorio peremptorio vim triplicis monitionis habente citatus fuerit die... mensis... anni...*) et ipse, mandata nostra contemnendo, contumax post dictas (*vel dictam*) monitiones (*vel monitionem*) fuerit et sit; idcirco ad ipsum compellendum ad debitam Nobis obedientiam praestandam, in his scriptis, contra eum sententiam excommunicationis maioris (*vel suspensionis a divinis, si sit in sacris*) proferimus, qua maneat illaqueatus, donec coram Nobis se sistat et absolutionis beneficium, parendo Nobis, mereatur. Et ut omnibus haec sententia pateat, eam per affixionem ad loca opportuna publicari mandamus. Datum etc.

N. Vicarius Generalis.

N. Actuarius.

(Sed hodie in laicos fertur tantum decretum et *ad acta* ponitur, quo declaratur contumacia, ad effectum probandi testem, rite citatum, auditum non fuisse, utpote contumacem).

12. *Forma recognoscendi et comparandi scripturas.*

Auditis praefatis testibus, volens rev. N. iudex pergere ad recognitionem et comparationem litterarum, quas Andreas N. dicitur ad puellam N. scripsisse, et quae a teste N. in manibus fisci fuerunt depositae, curavit a sacristia ecclesiae N. sibi afferri regestum baptismorum, in quo extant plura acta, manu Andreae N. certo exarata. Quo habito, curavit insuper diversorum scripturas afferri, ad videndum an testes, qui dicuntur Andreae N. scripturam optime noscere, eam inter varias alias discernere. Ad quem finem dictos testes vocare et examinare decrevit. Acta sunt haec die .. mensis... anno...

Vocatus igitur comparuit Gervasius N. et, praestito iuramento de dicenda veritate, deposuit ut sequitur:

*Ad generalia.*

1. *Interrogatus*: quomodo vocetur? — *Respondit*...

2. *Interrogatus*: cuius aetatis existat? — *Respondit*...

3. *Interrogatus*: ubinam habitet et a quanto tempore? — *Respondit*...

4. *Interrogatus*: cuius condicionis vel officii existat? — *Respondit*...

(Alias addere poterit iudex interrogationes generales, ut pateat, an testis alicui exceptioni obnoxius sit, aut etiam omnino reiici debeat).

*Ad specialia.*

1. *Interrogatus*: an cognoscat Andream N.? — *Respondit*: apprime cognosco.

2. *Interrogatus*: an habeant vel habuerint familiaritatem et commercium litterarum ad invicem? — *Respondit*: antehac bene, sed a duobus annis non amplius.

3. *Interrogatus*: an bene cognoscat characterem et manum domini Andreae N.? — *Respondit*: perfecte cognosco.

4. *Interrogatus*: an inter alias plures scripturas cognosceret manum et characterem Andreae N.? — *Respondit*: inter mille cognoscerem. Tunc rev. iudex varias scripturas una cum scriptura Andreae N. posuit ante testem, ita tamen, ut nullibi alicuius subscriptio pateret; et dixit ei, ut seligeret scripturam domini

Andreae N. Qui non multum deliberans extraxit unum folium dicens: haec est scriptura domini Andreae N., prout etiam erat. Quibus habitis, et si, et in quantum acceptatis...

Postea pro maiore veritatis certitudine, vocati comparuerunt N. et N., in discernenda scripturarum varietate satis periti; qui deposito iuramento de fideliter exequendo officio et veritate dicenda, iussi sunt a rev. N. iudice, ut scripturas, quas esse de manu Andreae certo iam constabat, cum litteris, quae praetenduntur ab ipso ad puellam Bibianam scriptae, accurate, diligenter et exacte conferant atque examinent, suumque postea iudicium manifestent, num ab una eademque, vel diversa manu sint exaratae. Acta sunt haec die... mensis... anno...

N. Iudex.

N. Actuarius.

Consequenter praefati duo periti calligraphi scripturas sibi consignatas, et sequens desuper iudicium suum in scriptis praesentarunt: incipit... (*et ibi ponantur primae voces*) et desinit... (*et ibi ultimae*) et est tenoris sequentis (*et ibi transcribatur iudicium illud peritorum*). Quod iudicium, cum ad mandatum iudicis eisdem praelegissem, confirmarunt. Acta sunt haec die... mense... anno..., et subscribant duo periti hoc modo: Ego N. affirmo ut supra. Ego N. confirmo ut supra.

Ego N. Actuarius.

13. *Forma compositionis postulandae.*

Ego N., reperiens me processatum in Curia episcopali N., pro quodam praetenso crimine (*vel quibusdam...*), nempe (*et ibi crimen indicetur*), lites cum fisco habere refugiens, nullatenus tamen praetensi criminis me culpabilem (quod absit) profitens, oro illustrissimum et reverendissimum Episcopum, ut velit supradicto processui finem et fisco silentium imponere; me submittens ad poenam poenitentiamve sibi benevisam, si forte quam mihi iniungendam existimaret. Ita supplico et insto. Ego N.

14. *Formula decreti compositionis.*

Attentis remissione partis, necnon qualitate delicti et delinquentis, ac aliis iustis causis animum nostrum digne moventibus,

supra dictum N. inquisitum pro... et causa, de quibus in processu, et compositionem quam Curiae et fisco obtulit, et ad quam admitti postulavit, admittimus; et solutis per eum in manu depositarii poenarum nostrae Curiae scutis..... ipsum absolvimus et totaliter liberamus; fisco silentium imponimus et mandamus, omni etc.

Datum...

N. Episcopus.  
N. Cancellarius.

15. *Forma constituendi reum.*

Cum ex actitatis haecenus, ad minimum semiplena habeatur probatio de delicto (*vel delictis*) domino Andreae obiecto, nempe quod (*et ibi delictum vel delicta exprimantur*), cumque sic ex informatione summaria emergerint a iure requisita, ut dictus Andreas N. possit reus constitui et constitutus possit legitime examinari, decrevit reverendus N. iudex praefatum Andream N. reum constituere et examinare, aliaque prout de iure prosequi. Acta sunt haec die... mensis... anno...

N. Iudex.  
N. Actuarius.

(Si ex processu informativo illa non emergerit saltem semiplena probatio, declaratur non esse locum processui in sequentem formam:)

Cum ex informatorio processu iam absoluto ne semiplena quidem emergerit probatio de praetenso delicto (*vel delictis*) a domino N. Andrea perpetrato, nempe quod (*et ibi delictum vel delicta exprimantur*), cumque hoc ipso desint iure requisita, ut dictus Andreas N. legitime possit reus constitui et examinari, decrevit reverendus N. iudex, non esse contra eum ulterius procedendum. Acta sunt haec die... mensis... anno...

N. Iudex.  
N. Actuarius.

16. *Forma citandi rei, quando proceditur accusationis via.*

Nos N., reverendissimi Episcopi N. Vicarius Generalis, cum a domino Ioanne N. Nobis praesentatus fuerit accusatorius libellus contra dominum Andream N., presbyterum, quo is accusatur de

pluribus delictis, videlicet 1. quod... 2. quod... *etc.*, cumque praefatus dominus Ioannes N. sese obtulerit ad probanda iudicialiter enumerata delicta, sub poenis contra calumniatores a iure statutis; ut debito nostro reddendae iustitiae satisfaciamus, decrevimus citare, prout harum serie citamus dominum Andream N.

Datum....

N. Vicarius Generalis.  
N. Actuarius.

17. *Forma citandi reum, quando proceditur ex mero officio, seu inquisitionis specialis via, ob publicam de delictis famam.*

Nos N., reverendissimi Episcopi N. Vicarius Generalis, cum pluries ad aures nostras rumor pervenerit de patratibus a domino Andrea N. presbytero nonnullis delictis, videlicet 1., quod... 2., quod... *etc.*, cumque de praevia Curiae informatione a Nobis acta, prout in actis, sufficientia emergerint, ut pronuntiare deberemus, prout et pronuntiavimus, constare de fama publica contra praefatum Andream N., eamque famam non ab inimicis et malevolis, sed a gravibus personis ortam: idcirco, ut satis nostro officio faciamus, decrevimus eundem dominum Andream N. citare, prout harum serie citamus. Datum....

N. Vicarius Generalis.  
N. Actuarius.

18. *Forma citandi reum in aliena dioecesi existentem, per remissoriales litteras ita ad acta relatas.*

Cum rescivisset reverendus N. Vicarius Generalis, praefatum Andream N. in dioecesi vicina N. versari, ut tutius citatio ad eum perveniret, decrevit litteras remissoriales dare ad reverendum N., Vicarium Generalem et ordinarium in dicta dioecesi iudicem. Quae litterae expeditae fuerunt et sunt tenoris sequentis, videlicet: Reverende et colendissime Domine! Cum te ordinarium in dioecesi N. iudicem existere dignoscatur, et in hac dioecesi versari resciverimus dominum Andream N., presbyterum, iurisdictioni reverendissimi Episcopi nostri subiectum, quem mei officii est tamquam reum citare, pro causa criminali contra eum mota et apud Curiam nostram pendente; idcirco visum est auxilium

tuum requirere, quatenus infra scribendam citationem procures dicto domino N. per unum Curiae vestrae episcopalis publicum nuntium, personaliter vel in domo solitae ipsius habitationis intimari, et de eiusdem citationis executione iuridicam relationem ad me transmitti. Est autem intimanda citatio, quae sequitur: (*et hic, prout proceditur via accusationis vel denuntiationis, vel ex officio, ponatur una ex formulis supra descriptis*). Interim tuo me famulatui offerens, rogo, ut te Deus servet incolumem. Datum...

N. Vicarius Generalis.

N. Actuarius.

19. *Forma tenenda a iudice alienae dioecesis in exequendis, quas accepit, remissorialibus.*

In nomine Domini. Amen. Cum reverendus N., reverendissimi Episcopi nostri N. Vicarius Generalis, recepisset a reverendo N., in dioecesi N. Vicario Generali et ordinario iudice, quasdam litteras remissoriales, quae incipiunt... et definiunt... et sunt tenoris sequentis, videlicet (*et ibi inserantur illae litterae*), ideoque praefatus reverendus N. Vicarius Generalis decrevit, prout de iure, eas executioni demandare. Quapropter vocato Ioanne N., Curiae nostrae episcopalis publico nuntio, praemissam citationem consignavit, et iussit ut eandem domino Andreae N. personaliter vel domo solitae habitationis intimaret. Qui dictus nuntius ad me actuarium reversus, retulit se praefato Andreae N. personaliter, prout in mandato, citationem intimasse, copia relicta. Acta sunt haec... mensis... anno.....

Ego N. Episcopalis Curiae nuntius, affirmo ut supra.

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

(Acta processualia sigillata mittuntur ad iudicium, qui remissoriales dedit).

20. *Forma declarandi contumaciam rei.*

(Postquam in actis adnotatum fuerit, binam saltem citationem datam esse, sed frustra, scribatur:)

Consequenter reverendus N. Vicarius Generalis declaravit, praefatum Andream N. incidisse in contumaciam et contra eum

tamquam contumacem procedere decrevit. Quapropter eundem citari ad audiendam sententiam definitivam ordinavit. Acta sunt haec die... mensis... anno...

N. Vicarius Generalis.

N. Actuarius.

21. *Forma citandi reum contumacem ad audiendam sententiam definitivam.*

Itaque de mandato reverendi N. Vicarii Generalis, Ioanni N., episcopalis Curiae nuntio publico, fuit consignatus libellus citationis, quem iussus est praefato Andreae N. personaliter vel in domo solitae ipsius habitationis intimare (*vel si reus fugerit, valvis ecclesiae N. aut: loco.... affigere*), qui libellus est tenoris sequentis: Harum serie citatur peremptorie dominus Andreas N. iam peremptorie citatus, et, quia non comparuit, contumax declaratus, ad comparandum Nobis infra tres dies ab intimatione (*vel a publicatione, si per modum edicti fiat citatio*) praesentium computandos, ad audiendam sententiam definitivam. Datum...

N. Vicarius Generalis.

N. Actuarius.

Reversus autem ad me dictus nuntius Ioannes retulit, se die... praesentis mensis, hora... praefato Andreae N. memoratam citationem personaliter prout in mandato intimasse, copia eidem relicta. Acta sunt haec die... mensis... anno... Ego N. episcopalis Curiae cursor affirmo ut supra.

Ego N. Notarius.

(Nam nuntius fidem facere debet, se executum esse mandatum iudicis et certa ratione executum fuisse, haec scribens vel in originali vel in exemplari libelli citatorii. Sed melius est originale asservare in actis et in eo fidem facere de executata citatione).

22. *Formula sententiae definitivae contra reum contumacem.*

Elapsis igitur tribus diebus, pro peremptorio termino in praefata citatione assignatis, reverendus N. Vicarius Generalis, pro tribunali sedens, alta voce legit sententiam definitivam, quae est huiusmodi:

Visis et consideratis diligenter omnibus et singulis indiciiis et probationibus coram Nobis factis, in processu fabricato contra dominum Andream N., presbyterum diffamatum (*vel denuntiatum, vel accusatum*) de crimine (*vel de criminibus*) de quo (*vel de quibus*) in actis: attento insuper quod dictus Andreas N. a Nobis debita forma peremptorie citatus non comparuerit, et sic in contumaciam inciderit, Deum solum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, declaramus et sententiamus, dominum Andream N. presbyterum esse reum delicti... (*vel delictorum....., et delictum vel delicta explicantur*), de quo delicto (*vel quibus delictis*) fuit sufficienter indiciatus in actis, et quod (*vel quae*), ob contumaciam, censendum est (*vel censenda sunt*) ab ipso confessum (*vel confessa*). Quapropter delicto (*vel delictis*) poenas commensurantes, contra praefatum Andream N. pronuntiamus poenam suspensionis a divinis, necnon depositionis ab officiis et beneficiis quibuslibet, et tandem maioris excommunicationis. Ita hoc et omni meliore modo. Lata, lecta et publicata fuit die... mensis... anno... Denuntiavimus ut supra.

N. Vicarius Generalis.

N. Notarius.

### 23. Forma examinandi rei.

Constitutus personaliter praefatus dominus Andreas N., presbyter, coram reverendo N., Vicario Generali, in atrio episcopii expediendis iudiciis destinato, interrogatus fuit et respondit.

#### *Ad generalia :*

1. *Interrogatus* : an ipse sit Andreas N. presbyter, in parochia N. vicarii munus explens? *Respondit* : is ipse sum.
2. *Interrogatus* : a quanto tempore sacris ordinibus initiatus fuerit? *Respondit*...
3. *Interrogatus* : in quo seminario studuerit, an e dioecesi oriundus sit, an et quomodo clero dioecesis adscriptus fuerit? *Respondit*...
4. *Interrogatus* : an dum in seminario versaretur, dilata ipsi fuerit ordinatio ob aliquem in moribus defectum? *Respondit*...
5. *Interrogatus* : an presbyter factus, ad Curiam episcopalem fuerit aliquando vocatus et de aliquo reprehensus? *Respondit* : Cum

essem parochus in pago N., nonnullae malevolae mulierculae vitae meae integritatem in suspicionem vocarunt. Reverendissimus autem Episcopus me accersivit et monuit, ut non tantum a malo, sed etiam a specie mali declinarem sedulo, ac me a dicta parochia rurali revocans, vicarium in civitatis parochia N. me constituit.

Eiusmodi interrogationes generales pro opportunitate congerere iudex ecclesiasticus poterit.

#### *Ad specialia.*

1. *Interrogatus* : an vestes saeculares domi habeat et his utatur? *Respondit* : hisce turbolentissimis temporibus, cum nec tutum nec conveniens esset noctu, quando ad aegros vel moribundos vocamur, habitu clericali incedere, vestes saeculares mihi comparavi et iis quandoque propter dictam rationem utor.

2. *Interrogatus* : an die decima praeteriti mensis invisendum noctu habuerit moribundum aliquem? *Respondit* : recordor mihi, circa hoc tempus invisendum fuisse aegrum quendam.

3. *Interrogatus* : de nomine et domo huius aegri? *Respondit* : est dominus N. hac hebdomada defunctus, et commorabatur via N. num. N.

4. *Interrogatus* : an ab aliquo fuisset vocatus de familia vel de domo aegri? *Respondit* : a nullo se fuisse vocatum, sed cum esset huic aegro a confessionibus et scriret, eum se male habere, sponte ivisse, ne absque sacramentis decederet.

5. *Interrogatus* : qua hora iverit? *Respondit* : circa mediam noctem.

6. *Interrogatus* : cur tam insolita hora voluerit invisere aegrum? *Respondit* : sibi in mentem venisse, hoc fore Deo placitum.

7. *Interrogatus* : quinam de domo aegri eum receperint et testari possent, ipsum hora dicta aegrum adiisse? *Respondit* : ivi quidem ad domum et tintinnabulum pulsavi, sed cum diutius morarentur, abii, nec domum ingressus sum.

8. *Interrogatus* : an vocatus noctu aliquando fuerit ad invisendum aegrum in via N. num. N.? *Respondit* : Nunquam.

Eiusmodi opportunas interrogationes quando iudex expleverit, claudat hoc modo :

Quibus habitis et si et in quantum acceptatis de mandato reverendi Vicarii Generalis praedictas interrogationes et respon-

siones dicto domino Andreae N. perlegi: et cum interrogatus fuisset, an vellet quidquam mutare vel addere, et respondisset, nihil sibi occurrere addendum aut mutandum, quia veritatem dixisset (*vel* respondit ad numerum N., se ulterius respondere..., *et ibi ponatur mutatio vel additio*), iussus est subscribere. Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego Andreas N. depono ut supra.

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

(Si examen rei uno tractu perfici nequeat, de *interruptione* mentio fiat in actis, in hunc modum:)

Tunc reverendus N. Vicarius Generalis, tarditate horae praeventus (*vel* gravibus negotiis impeditus), examen continuandum remisit ad crastinum diem, hora... Quare de mandato eiusdem reverendi Vicarii Generalis partem depositionis iam factam a dicto Andrea N. reo ipsi perlegi; cui et subscribere iussus est. Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego Andreas N. deposui ut supra.

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

(Forma autem *reassumendi interruptum examen* haec esse poterit:)

Die... mensis... anno... in atrio solito episcopii, ventilandis causis ecclesiasticis destinato, reverendus N. Vicarius Generalis volens continuare examen rei prius interruptum, ut supra, vocari illum coram se fecit. Ulterius reus interrogatus respondit ut sequitur: 13. *Interrogatus* etc.

#### 24. *Forma publicandi processus offensivi.*

Absoluto, ut supra, rei examine, reverendus N. Vicarius Generalis assignavit domino N., promotori fiscali, pro termino exhibendorum capitulorum (*vel in genere* pro exhibenda postulatione fiscali) diem sabbati proximum; atque dominum N., reum, citavit ad comparandum hoc ipso dicto die, hora nona, ad audienda fisci capitula et dandas responsiones. Acta sunt haec die... mensis... anni...

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

\* Comparante in Curia episcopali domino N., reo, iussit reverendus N. Vicarius Generalis eidem reo legi capitula pro fisci parte exhibita, quae sunt tenoris sequentis, videlicet: *Fiscus ponit et quatenus negatur probare intendit* 1... 2... etc. Interrogatus autem a iudice reus quoad singula, omnia negavit (*vel* omnia negavit praeter 5 et 7).

Quibus habitis responsis rei, decrevit reverendus N. Vicarius Generalis processum hucusque habitum publicare.

Consequenter de ipsius mandato lecta sunt alta voce acta omnia; quo peracto, decrevit idem reverendus Vicarius Generalis processum pro publicato et hinc legitumato esse habendum. Acta sunt haec die.. mensis... etc. Dein reo vel eius defensori conceditur facultas legendi, penes cancellariam tribunalis, acta; vel ad eius instantiam et expensas, confici potest copia authentica actorum.

25. *Forma petendi prorogationem termini defensorii, eamque concedendi vel denegandi necnon a denegatione appellandi.*

Coram reverendo N. Vicario Generali comparet dominus N., patronus domini N., rei, et petit prorogari terminum octo dierum, suo principali concessum, quem nimis brevem esse, ob nonnullas ab eo productas rationes, contendit. Quae petitio eidem reverendo Vicario Generali rationabilis visa est; quapropter ea si et in quantum acceptata, praecepit prorogari terminum ad alios octo dies, computandos immediate a tempore octo dierum prius assignatorum expirato. Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

(Si iudex prorogationem deneget, scribi poterit in hunc modum:)

Coram... (*ut supra usque ad* contendit). Praefatus vero Vicarius Generalis perpendens, causas adductas non esse legitimas, et petitionem fieri tantum ad protrahendum iudicium, postulatam prorogationem denegavit et protestatus est, quod si in tempore assignato defensiones non praestabuntur, nulla habita ratione illarum, ad ulteriora procedetur. Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.



(Si reus vel eius patronus prorogationem postulans, velit a denegatione appellare, poterit haec forma adhiberi:)

Ad quae praedictus comparens replicavit, causas a se adductas esse legitimas et nullo modo inventas ad iudicium differendum; proinde appellavit ad quos de iure a praedicta sententia et decreto et protestatus est de nullitate actorum, si ad ulteriora procedatur, petens apostolos instantanter, instantissime. Acta sunt haec die... mensis... anno.

Ego N. patronus protestor et appello, ut supra.

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

(Si iudex tunc maluerit prorogationem concedere, scribi poterit in hunc modum:)

Videns autem reverendus N. Vicarius Generalis perseverantiam dicti comparentis in appellando, et considerans quod, quamvis appellatio ipsius sit frivola, et causae superius adductae non legitimae, magis tamen protraheretur iudicium in iis discutiendis, quam in concedendo petitum novum terminum; prudenter recedendo a decreto denegationis iam facto, indulsit alium terminum octo dierum ab expirato priore termino computandorum. Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

#### 26. *Forma scribendi interrogatorios articulos.*

Interrogatoria, quae reverendo N. Vicario Generali exhibet dominus N., rei praetensi N. patronus, supra quibus examinari postulat testes omnes (*vel* testes N. N.). 1. Testis dominus N. interrogetur: a quo loco viderit dominum N., praetensum reum, delictum committentem; qua de causa in hoc loco dictus testis repertus fuerit; quo in loco fuerit ante et post. 2. Testis dominus N. interrogetur (*et sic ponantur cetera opportuna interrogatoria*). Quae interrogatoria ego infrascriptus reverendo iudici N. praesento et fieri postulo. Ego N. Patronus.

#### 27. *Forma corrigendi interrogatoria.*

Consideratis et bene ponderatis, per reverendum N. Vicarium Generalem, articulis interrogatoriis, censuit corrigendum esse ar-

ticulum primum (*vel* secundum... *et exprimat numerus articuli*), quia superfluum est; pariter tertium, quia nullo modo pertinet ad causam; idemque quartum, quia est pure infamatorius. Proinde supra praedictis non intendit repetere testes; sed eos super ceteris repetere decrevit. Acta sunt haec die etc...

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

#### 28. *Forma citandi reum ad sententiam definitivam.*

Consequenter volens reverendus N. Vicarius Generalis ad finalem sententiam procedere, vocavit Ioannem N., episcopalis Curiae nuntium publicum, eique consignavit citationis libellum tenoris sequentis, videlicet: Citatur dominus N., reus, et dominus N., eius patronus, ad comparandum coram reverendo N. Vicario Generali die... hora... in atrio episcopii, ubi Curia regitur, ut audiant definitivam sententiam, in causa criminali contra dominum N. praefatum mota, ferendam. Et mandat dictus reverendus Vicarius Generalis praesentem citationem dictis dominis N. et N. personaliter vel in domo solitae habitationis intimari. Datum...

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

#### 29. *Formula sententiae definitivae, quoad eam partem, quae omnibus generalibus sententiis definitivis communis est.*

In nomine individuae SS. Trinitatis. — Nos N., iudex ordinarius (*vel* delegatus), visis et diligenter consideratis omnibus et singulis in causa et causis coram nobis actitatis de et super (*et hic exprimat delictum, super quo processus factus est*), de quo delicto dominus N. fuit infamatus (*vel* denunciatus, *vel* accusatus), et mature perpensis testium depositionibus contra praedictum dominum N. super memorato crimine; ipsoque citato, interrogato et sufficienter audito in omnibus suis defensionibus; Deum solum omnis iustitiae fontem prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, dicimus etc...

30. *Formula sententiae absolutoriae in casu delicti non commissi.*

In nomine... (*ut supra*) dicimus dominum N. nullo modo commisisse crimen, de quo fuit inculpatus; et proinde ipsum tamquam innocentem ab omni observatione iudicii absolvimus. Ita hoc et omni meliore modo. Lata, lecta et publicata fuit die... mensis... anno... Ita pronuntiavimus pro tribunali sedentes.

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

31. *Formula sententiae absolutoriae pro reo non invento culpabili.*

In nomine... (*ut supra*) dicimus dominum N. non fuisse inventum culpabilem nec de iure punibilem; et proinde ipsum absolvimus ab omni observatione iudiciali et quavis ulteriore instantia, et causae huic perpetuum silentium imponimus. Ita hoc et omni meliore modo. Lata, lecta et publicata die... mensis... anno... in (*et ibi ponatur locus*). Ita pronuntiavimus pro tribunali sedentes.

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

32. *Forma sententiae condemnatoriae contra reum, plene per testes convictum.*

In nomine... (*ut supra*) dicimus dominum N. reum per testes integros plene remanere convictum de (*et ibi exprimatur delictum cum omnibus suis qualitibus et circumstantiis*). Quapropter ipsum condemnamus in poenas a ss. canonibus (*vel a nostris constitutionibus synodalibus*) latas, nempe (*et ibi exprimatur per extensionem poena a reo subeunda*). Ita etc. (*ut supra*).

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

33. *Forma appellandi a sententia interlocutoria.*

Coram reverendo N. Vicario Generali comparet dominus N., reus qui supra; et dicit se esse gravatum per reverendum Vicarium Generalem in decreto, quo reiecta est tamquam frivola exceptio sua contra testes N. N. (*vel aliud exprimatur gravamen, si quod sit*). Dicit insuper tale esse huiusmodi gravamen, ut non

possit per sententiam definitivam reparari: cum enim praedicti testes praetensum delictum a dicto domino fuisse patratum testati sint, si eorum admittatur testimonium, nihil eidem reo expectandum esse quam condemnationem. Hinc quia sustinet dominus N., praetensus reus, se sufficienter probasse, dictos testes esse ipsius inimicos, periuros, inhabiles; ideo cum omni debita subiectione, non animo iudicium protrahendi, sed se eximendi a gravamine, appellat super praedicto decreto seu sententia interlocutoria; et vult et instat illam rescindi; aliter provocat ad Metropolitanam et ad Sedem Apostolicam: et petit sibi responderi de apostolis instantanter, instantius, instantissime. Datum die... mensis... anno... Ego N. appello ut supra.

Praesentata fuit suprascripta appellatio et de mandato Vicarii Generalis in actis recepta, et nonnisi prout de iure admissa, hac die... mensis... anno... in.

Ego N. Actuarius.

(Si appellatio erit reiicienda, decernatur in hunc modum:)

Consequenter reverendus N. Vicarius Generalis, attente considerata appellationis causa, a praefato domino N., reo, producta, invenit eam in iure et in facto insubsistentem; proinde eam reiecit tamquam frivolam, et nullius valoris, et decrevit, ea non obstante, ad ulteriora procedere. Quod decretum cum fuisset per me praefato domino N., reo, intimatum, ille acquievit (*vel: ille denuo appellavit, et iterum petiit apostolos instantanter, instantissime*). Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Actuarius.

34. *Forma appellationis a sententia definitiva.*

Cum lecta et intimata fuisset, ut praefertur, praefata sententia praedicto domino N., reo, ipse appellavit et apostolos petiit; cui reverendus Vicarius Generalis respondit, se praestitutum esse ea, quae de iure esse iudicabit. Acta sunt haec die... etc. Ego N. appello et peto apostolos.

Ego N. Actuarius.

(Si reus non immediate post sententiam latam, tamen intra decendum, appellet, actuarius appellationem excipere potest modo sequenti:)

Anno... mense... die... loco... comparuit coram reverendo Vicario Generali dominus N., reus qui supra; qui appellavit contra sententiam publicatam contra ipsum die..., prout in actis, et apostolos petiit; cui praefatus reverendus Vicarius Generalis respondit, se praestitutum esse quod de iure esse iudicabit. In quorum fidem...

Ego N. appello.

Ego N. Actuarius.

35. *Forma concedendi apostolos refutatorios.*

Cum dominus N. appellaverit sub die... coram Nobis, super decreto a Nobis prolato sub die..., prout in actis, et causam appellationis produxerit, prout latius in citatis actis continetur; talem appellationem et eius causam, utpote nullius valoris, reiecimus et reiiciendam esse iudicavimus, prout de facto eam iterum reiicimus.

Verum quia denuo a decreto reiectionis appellavit et apostolos petiit, ipsos prout de iure appellationis causam refutantes concedimus, et causam super hoc articulo incidenti ad (*et ibi exprimat proximus iudex ad quem*) et successive ad alios, prout de iure, ablegamus et remittimus. Intendendo quod, per hoc, talem reum a nostra iurisdictione minime dimittimus, sed ipsius causam, ut de iure, prosequi, ac definire velle pronuntiamus. Datum...

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

36. *Forma apostolorum reverentialium.*

Cum dominus N. (*ut supra usque ad illa verba Verum quia*). Verum quia denuo a decreto reiectionis appellavit, et apostolos petiit, quamvis haec nova appellatio Nobis frivola fuerit visa, tamen ob nostram reverentiam erga (*et ibi nominetur iudex ad quem*) et alios, ad quos appellavit, praedictae appellationi duximus deferendum, et de facto detulimus, et petitos apostolos reverentiales harum serie concedimus. Datum...

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

37. *Forma apostolorum dimissorialium.*

Cum in causa delicti, de quo diffamatus (*vel* denunciatus, *vel* accusatus) fuit dominus N., sententiam definitivam tulerimus, et a nostra sententia praedictus dominus N. appellaverit et provocaverit ad (*et ibi exprimat nomen iudicis ad quem*) et successive ad Apostolicam Sedem; Nos appellationi huiusmodi, ut par est, deferentes, ipsum appellantem a nostro iudicio dimittimus et eius causam cum copia actorum sigillata ad praedictum (*et ibi nominetur rursus iudex immediatus ad quem*) remittimus. Datum...

Ego N. Vicarius Generalis.

Ego N. Actuarius.

38. *Quomodo iudex ad quem incipere debeat processum in causa appellationis a sententia interlocutoria.*

In nomine Domini. Amen. Cum comparuisset coram reverendo N., Vicario Generali archidioecesis N., dominus N. dioecesis N. (*vel* dominus N., patronus domini N., praetensi rei) et exposuisset, se appellasse a decreto interlocutorio, interposito a reverendo N., Vicario Generali eiusdem dioecesis, super... (*et ibi exprimat decretum super quo fuerit appellatum*), et praefatus dominus N. appellans institisset, ut admitteretur ad probandam coram reverendo N., Vicario Generali huius archidioecesis, causam (*vel* causas) praedictae appellationis a se productam (*vel* productas), idem reverendus Vicarius Generalis, adhibito me infrascripto, huius Curiae publico actuario, decrevit, prout de iure, procedere. Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Vicarius Generalis archidioecesis N.

Ego N. Actuarius.

Consequenter idem reverendus Vicarius Generalis, visis causis appellationis productis a dicto domino N. appellante, pronuntiavit eas de iure esse legitimas; et ad videndum, an subsistant in facto, de eiusdem mandato fuit vocatus idem dominus N. appellans (*vel* dominus N., patronus praedicti domini N., rei praetensi) coram eodem reverendo Vicario Generali, et se paratum esse dixit, probare causas expressas in libello appellationis; et testes super primo articulo produxit dominos N. et N.; super secundo, dominos N. et N. (*et sic deinceps assignet testes, vel producat litteras, scrip-*

*turas, vel alia documenta, per quae causae ab ipso adductae probentur, et omnia in actis adnotentur*). Quae omnia a reverendo N., Vicario Generali huius archidioecesis, fuere recepta et admissa si et in quantum; et decrevit idem Vicarius Generalis, ad ulteriora, prout de iure, procedere. Acta sunt haec die... mensis... anno... in...

Ego N. Vicarius Generalis archidioecesis N.  
Ego N. Actuarius.

(Si iudex ad quem existimet, causam appellationis non subsistere in iure — idest non esse de iis, propter quas appellari potest, etiamsi factum allegatum verum foret et concludenter probaretur — in superiore formula loco verborum « pronuntiavit eas de iure esse legitimas » ponatur:) pronuntiavit eas de iure non esse legitimas; et consequenter dominum N. appellantem decrevit ad iudicem suum ordinarium remittere; et iussit praesentis decreti et processus copiam authenticatam et sigillatam ad eundem ordinarium transmitti. Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Vicarius Generalis archidioecesis N.  
Ego N. Actuarius.

39. *Forma ferendae sententiae super valore appellationis ab interlocutoria.*

In nomine Domini. Amen. Visa appellatione interposita a domino N., reo praetense, super sententia interlocutoria lata a reverendo N., Vicario Generali dioecesis N., iudice ordinario, die... mensis... anno...; visis causis appellationis a memorato reo praetense propositis; visisque et ponderatis depositionibus testium et aliis instrumentis ab appellante productis, per hanc nostram sententiam declaramus et dicimus, male fuisse a memorato iudice interlocutum, et bene appellatum. Datum etc.

Ego N. Vicarius Generalis archidioecesis N.  
Ego N. Actuarius.

(Nisi iudex a quo sit legitime suspectus, impediri non debet, quominus postea prosequatur ad sententiam definitivam.

Quodsi appellatio iudicata fuerit insubsistens, post verbum « sententiam » ponatur:)

Declaramus et dicimus, bene fuisse a memorato iudice interlocutum, et male a praedicto domino N. appellatum.

Quapropter non obstante praedicta appellatione, debere praedictum iudicem in causa procedere, prout de iure, decernimus et pronuntiamus. Datum etc.

40. *Forma incipiendi processum apud iudicem ad quem, quando appellatum est a sententia definitiva.*

In nomine Domini. Amen. Cum ad reverendum N., huius archidioecesis Vicarium Generalem, transmissa fuissent acta processualia in causa criminali domini N. habita, in quibus continetur sententia condemnatoria contra praefatum N., lata a reverendo N., Vicario Generali dioecesis N. et iudice ordinario, necnon praedicti domini N. a dicta sententia interiecta ad metropolitanum tribunal appellatio, simul cum eidem facta apostolorum dimissorialium concessione; et memoratus dominus N. comparuisset coram praefato reverendo N., Vicario Generali, ad effectum prosequendae suae appellationis; idem reverendus Vicarius Generalis huius archidioecesis, adhibito me infrascripto notario publico et huius Curiae actuario, decrevit, prout de iure, in causa supra dictae appellationis procedere.

Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Vicarius Generalis archidioecesis N.  
Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus supradictus dominus N., reus praetensus, a reverendo Vicario Generali iussus est exhibere, si quos haberet praesentandos, articulos, ad probandam supra memoratae sententiae iniustitiam. (*Si nullos velit defensor articulos praesentare, notetur ut sequitur:*) Qui respondit, se nihil habere addendum iis, quae in actis continentur, ex quibus sufficienter apparebit dictae sententiae iniustitia. (*In quo casu nihil remanebit iudici faciendum, quam acta processualia iam habita perpendere et sententiam pronuntiare. Si vero vocatus articulos exhibeat, scribat actuarius hoc modo:* Qui statim chartam defensoriam praesentavit, quae incipit... et desinit... et ad mandatum reverendi N., Vicarii Generalis, in acta redacta est, signata numero...). Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Vicarius Generalis archidioecesis N.  
Ego N. Actuarius.

41. *Forma sententiae pronuntiandae a iudice ad quem.*

In nomine individuae et SS. Trinitatis. Amen. Nos N., Vicarius Generalis archidioecesis N. ac iudex ordinarius, visis ac diligenter consideratis omnibus et singulis actitatis in causa et causis discussis coram reverendo N., Vicario Generali dioecesis N., contra dominum N. diffamatum (*vel accusatum, vel denuntiatum*) de... (*et ibi exprimat delictum*); visis item omnibus productis iure et facto ad favorem praedicti domini N.; visa pariter sententia contra eundem prolata a praefato N., Vicario Generali et iudice ordinario praedictae dioecesis; visa tandem appellatione ad N. interposita; ipsiusque causis, iuribus et probationibus, coram Nobis productis ad ipsam sustinendam, mature pensatis; Deum solum omnis iustitiae fontem prae oculis habentes; per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, dicimus praefatum dominum esse (*et ibi exprimat eum patrasse tale delictum, de quo fuit processatus, cum talibus qualitatibus et circumstantiis*). Quapropter sententiam a iudice ordinario dioecesis N. latam confirmantes, praefatum N. condemnamus ad... (*Si poena diversa infligatur, omittantur voces: sententiam confirmantes. Si contra absolvatur reus, post vocem dicimus ponatur forma sententiae absolutoriae, ut supra. Et addatur solita clausula:*) Ita pronuntiamus pro tribunali etc.

Ego N. Vicarius Generalis archidioecesis N.  
Ego N. Actuarius.

## INDEX ALPHABETICUS.

Numeri referuntur ad numeros paginarum.

- Abolitio** causae criminalis, 41, 139 sq.  
**Absoluta incompetencia** iudicis, 9.  
**Absolute inhabiles** ad accusandum, 37; ad testandum, 61 sq.  
**Accusatio**, procedura, 47 sq.; accusationis capita, 112 sq.; accusationis libellus, 101, 108.  
**Accusator**, 36 sq.  
**Accusatorius processus**, 47 sq.  
**Accusatus**, 38 sq., 112.  
**Acta** causae et acta processus, 29.  
**Acta processualia** in lingua latina exaranda, 29 sq.; subscribi debent, 30; tradenda promotori iustitiae, 108; inspicere possunt ab accusato eiusque defensore, 110; tradenda tribunali instantiae appellationis, 133; asservanda in archivio tribunalis, 31.  
**Actio criminalis** criminaliter et civiliter acta, 36  
**Actiones personales et reales**, 142.  
**Actuarii**, 19 sq.  
**Administrativa amotio** parochorum, 170 sq.  
**Advocati**, 42 sq.  
**Advocatus reorum** apud S. Officium, 148.  
**Amotio administrativa** parochorum, 170 sq.  
**Animadversiones promotoris iustitiae**, 108.  
**Anonymae denuntiationes sollicitantium**, 153; scripturae, 31, 99.  
**Apostoli**, 129 sq.  
**Apparitores**, 20.  
**Appellatio** adversus sententiam iudicalem, 125 sq.; adversus executores sententiae, 142; adversus sententiam latam ex informata conscientia, 96; extra iudicialis, 128.  
**Arbitri iuris**, 9, 127.  
**Archivium tribunalis**, 31.  
**Articuli defensionis**, 111 sq.  
**Artificialis probatio**, 59.  
**Assessores iudiciales**, 16 sq.  
**Assumptio probationum**, 58.  
**Beneficiati suspecti**, procedura in eos, 163 sq.  
**Beneficium novae audientiae**, 135, 139.  
**Brachium saeculare** in executione sententiae, 142.  
**Calligraphi**, 75 sq.  
**Cancellaria tribunalis**, 31.  
**Cancellarii**, 19 sq.  
**Capellanus maior**, iudex primae instantiae, 12.  
**Capita accusationis**, 112 sq.  
**Capitula**, 111 sq.  
**Capitularis Vicarius**, iudex primae instantiae, 12, 14.  
**Cardinales** etc. ut accusati, 39; ut testes, 65.  
**Causae maiores**, 23 sq.; privatae et publicae, 36.  
**Citatio accusati**, 103 sq., 112; testium, 65; citationis locus, 104.  
**Clerici suspecti**, procedura in eos, 162 sq.

*Coercitiva potestas* Ecclesiae, 1 sq.  
*Collatio* scripturarum, 76.  
*Collegium* iudicum, 11, 14 sq.  
*Competentia* iudiciorum criminalem, 5 sq.; S. Rotae, 22 sq.; Signaturae Apostolicae, 25 sq.; dubia, 8 sq.  
*Composita* probatio, 59.  
*Compositio* amicabile, 33 sq.  
*Conclusio* in causa, 112.  
*Concordia*, v. *Transactio*.  
*Concubinatus* clericorum, 162 sq.  
*Confessarii* ut testes, 62.  
*Confessio* extrajudicialis, 53 sq., 110; iudicialis, 53 sq., 110; criminis haeresis, 150; criminis sollicitationis, 153.  
*Confrontatio* testium, 106 sq.  
*Coniuratores*, 49.  
*Consanguinei* etc. nequeunt esse testes, 63.  
*Consecutio* tribunalium, 24.  
*Contestis*, 73 sq.  
*Continentia* causarum, 8.  
*Contumacia*, 120 sq.; accusati, 104, 121 sq., 143; testium, 71, 73.  
*Copiae* documentorum, 81 sq.  
*Credibilitas* denuntiantis crimen sollicitationis, 160.  
*Crimen*, v. *Delictum*.  
*Cursores*, 20.  
**Declaratoria sententia**, 119 sq.  
*Defensio* accusati, 107 sq., 109 sq.; defensionis libellus, 104, 107.  
*Defensor* accusati, 109 sq.; in gradu appellationis, 134.  
*Degradatio realis*, non amplius irroganda, 143, 153.  
*Delegati iudices*, 26 sq.  
*Delicta*, quae subiiciuntur potestati Ecclesiae, 2 sq.; disciplinaria clericorum, 3; mixta, 2

sq.; notoria, 51 sq.; occulta et publica, 39, 94 sq.; praescripta, 41.  
*Delictum*, definitio, 2; titulus competentiae, 6 sq.  
*Denuntiatio* iudicialis, 36, 38, 48; haeresis, 150; sollicitationis, 153 sq.  
*Depositum pecuniae*, 31 sq., 144.  
*Devolutivus effectus* appellationis, 132.  
*Dies feriati*, 28 sq.  
*Dies iudiciales*, 28 sq.  
*Diligentias* peragere, 160.  
*Dimissio* ab ordinibus, 165 sq.  
*Dimissoriae litterae*, 129.  
*Directa* probatio, 59.  
*Disceptatio finalis*, 108.  
*Discussio* causae, 115.  
*Documenta*, 78 sq.  
*Domicilium*, titulus competentiae, 6.  
**Ecclesiae ius ferendi** leges et coercendi criminosos, 1 sq.  
*Effectus* suspensivus et devolutivus appellationis, 130 sq.  
*Eiectio* religiosorum ab ordinibus, 165 sq.  
*Elenchus* expensarum, 32.  
*Error* in transactione, 35.  
*Examen* testium, 67 sq.  
*Exaratio* sententiae, 116 sq.  
*Exceptiones* contra depositiones testium, 72, 107; contra documenta, 79; contra iudices, 8 sq.; contra modum examinis, 72; contra peritos, 75; contra personas testium, 64 sq., 107.  
*Excommunicati* excluduntur ab accusando, 37; a testando, 62.  
*Executio* sententiae, 140 sq.; poenarum, 142 sq.  
*Executor* sententiae, 141 sq.

*Expensae*, 31 sq., 46, 143 sq.; pro examinandis documentis, 79; pro copiis documentorum, 82, 108 sq.; peritorum, 77; testium, 73; transactionis, 35.  
*Expulsio* religiosorum ab ordinibus et institutis religionis, 165 sq.  
*Extinctio* processus criminalis, 42.  
*Externa ordinatio* iudicii eiusque negotiorum, 10 sq.  
*Extraiudicialis* compositio controversiae, 33 sq.; confessio, 53 sq., 110; inquisitio, 87, 97 sq., 100; procedura, 85 sq.  
*Extranei* excluduntur a sessionibus iudicialibus, 29.  
*Extraordinaria remedia iuris*, 135 sq., 137 sq.  
*Extraordinariae procedurae*, 147 sq.  
*Extraordinarium forum*, 8.  
**Fama** accusati, 58.  
*Familiares* nequeunt accusare familiares, 37; esse testes, 62.  
*Finalis* disceptatio, 108 sq.  
*Forma* examinis accusati, 105; examinis testium, 68 sq.; sententiae, 117, 135.  
*Formae* processus criminalis, 46 sq.  
*Forum* continentiae causarum, 8; delicti, 6 sq.; Ecclesiae, 2 sq.; extraordinarium, 8; praeventionis, 7, 9; peregrinorum, 7; privilegiatum clericorum, 3 sq.; reconventionis, 7 sq.; vagorum, 7.  
*Frivola* recusatio iudicis, 9 sq.; appellatio, 126.  
**Gradatim** appellationes debent interponi, 24.

**Haeresis**, 147 sq.  
*Hierarchicus ordo* est servandus in appellationibus, 24.  
**Imperatores** etc. immediate subsumunt Romano Pontifici, 4, 39.  
*Incarceratio*, 143.  
*Incompetentia* iudicis, 8 sq.  
*Indicia*, 83 sq.  
*Indirecta* probatio, 59.  
*Infames* nequeunt accusare, 37; nequeunt testari, 8.  
*Informatio* extrajudicialis, 87.  
*Inhabiles* ad accusandum, 37 sq.; ad testandum, 61 sq.; ad transigendum, 34.  
*Inimici* nequeunt testari, 62.  
*Inquisitio* extrajudicialis, 87, 97 sq., 100; iudicialis, 101 sq.; praevia, 99 sq.  
*Inquisitionis procedura*, 38.  
*Inquisitorius processus*, 48 sq.; in causis haeresis, 149 sq.  
*Inspectio* ocularis, 60 sq.  
*Instantiae iudiciales*, 11 sq., 127.  
*Instructio* causae, 57 sq., 101 sq.  
*Instructores* causae, 16 sq.  
*Instrumenta*, 77 sq.  
*Interlocutoria sententia*, 114, 118, 126 sq., 131.  
*Interpres*, 70.  
*Interrogationes* accusati, 105 sq.; legitimae et illegitimae, 54 sq.; testium, 68 sq.  
*Interruptio* examinis testium, 30, 69.  
*Introductio appellationis*, 129.  
*Irregularitas* ut sequela aliarum poenarum, 143; ob laesam sententiam latam ex informata conscientia, 96.  
*Irrevelantes* probationes, 87.  
*Iudex*, 12 sq.; delegatus, 26 sq.; instructor, 16 sq., 102 sq.; ordinarius primae instantiae, 12;

- ordinarius secundae instantiae, 20 sq.; supremus, 5, 21 sq., 27; singularis, 11, 14; a quo et ad quem, 125.
- Iudices* synodales et prosynodales, 14.
- Iudicialis* confessio, 53 sq.; procedura, 97 sq.
- Iudicium*, definitio, 11; appellatationis, 21, 133; collegiale, 11, 14 sq.; ordinarium primae instantiae, 11 sq.; ordinarium secundae instantiae, 20 sq.; tertiae instantiae, 21 sq.
- Iuramentum* peritorum, 75; purgatorium, 84 sq.; testium, 66; in procedura contra sollicitantes, 160 sq.
- Iurisdictio* Ecclesiae quoad delicta, 2 sq.; iudicis, 11.
- Ius Ecclesiae* coercitivum, 1 sq.; legislativum, 1.
- Latina* lingua, 29 sq.
- Legere* depositiones conscriptas non licet, 69.
- Legislativa potestas* Ecclesiae, 1.
- Legitimatio* processus, 106.
- Libellus* accusationis, 101, 108; defensionis, 104.
- Lingua* apta iudiciis, 29 sq.
- Locus* examinis testium, 67; iudicii, 28; quo accusatus citatur, 104.
- Mandatum* advocati et procuratoris, 44 sq.; iudicis instructoris, 17.
- Modus* examinandi accusatum, 105; examinandi testes, 68 sq.
- Moniales*, earum dimissio ab ordinibus, 170.
- Monitio* paterna, 86 sq.; canonica, 97 sq.; in procedura eiectionis ab ordinibus etc., 168.
- Mulieres*, inhabiles ad accusandum, 37.
- Natura* et ambitus processus criminalis, 1 sq.
- Naturalis* probatio, 59.
- Nomina* testium quando reticere debent, 71.
- Non-citati* ut testes, 63.
- Notarii*, 19 sq.
- Notoria* delicta, 51 sq.
- Notorietas* iuris et facti, 51 sq.
- Nullitatis querela*, 135 sq., 25 sq.
- Numerus* iudicum, 14 sq.; peritorum, 75; testium, 64.
- Nuntii* iudiciales, 20.
- Obligatio* denuntiandi, 38; testandi, 70 sq.
- Occulta* delicta, 39, 94 sq.
- Officialatus*, 12.
- Officialis*, 12 sq.
- Officium*, S., in causis haeresis, 148; in causis sollicitationis, 159.
- Onus probandi*, 57.
- Ordinatio* externa iudiciorum ecclesiasticorum, 10 sq.
- Ordo hierarchicus* in appellationibus, 24.
- Parochi* suspecti, procedura in eos, 164 sq.
- Partes*, 36 sq.
- Patrocinium gratuitum*, 144.
- Pauperes*, ab expensis immunes et fruuntur patrocinio gratuito, 144 sq.
- Peregrini*, eorum forum, 7.
- Periti*, 60, 74 sq.
- Peritia*, 75.
- Poena talionis*, 47 sq.
- Poenae* in praecepta processualia vel secretum officii laedentes, 16; in haereticos, 150 sq.; in

- sollicitantes, 152 sq.; earum executio, 142 sq.; earum abolitio, 140.
- Ponens* causae, 17.
- Positiones*, 111 sq.
- Potestas* legislativa et coercitiva Ecclesiae, 1 sq.
- Praeceptum*, 89 sq.
- Praescriptio* causarum, 39 sq.; delictorum, 40 sq.; poenarum, 41 sq.
- Praesumptio*, 55 sq.
- Praesentio* in dubio competentiae, 7.
- Principalis* probatio, 59; procedura in gradu appellatationis, 133 sq.
- Privilegium fori*, 3 sq.
- Probatio* naturalis seu directa, 59; artificialis seu indirecta, 59; simplex et composita, 59; principalis et contraria, 59; probandi onus, 57.
- Probationes* in genere, 51 sq.; in specie, 59 sq.; revelantes et ir-revelantes, 57; contrariae, 115; aequales, 115; specificae et genericae, 116; semiplenae, 58, 116; earum productio, 57 sq.; earum validitas, 58; earum vis, 58, 115 sq.
- Procedura* extrajudicialis, 85 sq.; iudicialis, 97 sq.; per accusationem, 36 sq., 47 sq.; per denuntiationem, 36, 38; per inquisitionem, 38; purgationis canonicae, 48 sq.; in delictis notoriis, 52 sq.; in gradu appellatationis, 133 sq.; in contumaces, 122 sq.; in causis haeresis, 147 sq.; in causis sollicitationis, 151 sq.; in clericos suspectos, 162 sq.; in causis eiectionis vel dimissionis religiosorum ab ordinibus et in-
- stitutis religiosis, 165 sq.; a-motionis administrativae ab officio et beneficio curato, 170 sq.
- Processus civilis*, 2.
- Processus criminalis*, definitio, 2; solemnis, 50 sq.; summarius, 50 sq.; diversae formae, 46 sq.; accusatorius, 47 sq.; denuntiatorius, 48; inquisitorius, 48 sq.; procedura, 99 sq.; informativus, 99 sq.; offensivus, 108 sq.; defensivus 109 sq.
- Procurator fiscalis*, v. Promotor iustitiae.
- Procuratores*, 43 sq.
- Productio* probationum, 57 sq.; testium, 63 sq.; peritorum, 75; documentorum, 80 sq.
- Promotor iustitiae*, 17 sq., 99 sq., 108.
- Propositio* testium, 63.
- Prosynodales* iudices, 14.
- Protocollum* de depositionibus testium, 69; in causis sollicitationis, 161 sq.
- Provocatio* ad causam, 128.
- Publica* crimina, 39, 94 sq.
- Publicatio* depositionum testium, 65, 71 sq.; sententiae, 117.
- Purgatio* canonica, 48 sq.
- Quasi-domicilium*, titulus competentiae, 6.
- Querela nullitatis*, 135 sq., 25 sq.
- Recognitio* rei iudicatae, 139.
- Reconventio*, 3 sq.; reconventionis forum, 7 sq.
- Recursus* contra sententiam latam ex informata conscientia, 96 sq.; ad Romanum Pontificem, 135; a condemnatione in expensis, 144.



- Recusatio* iudicis, 8 sq.; personae iudicialis, 10; testium, 64 sq.; depositionum testium, 72; iuramenti, 66; frivola, 9 sq.
- Reductio* expensarum iudicialium, 144 sq.
- Relativa* incompetentia, 8.
- Religiosi* delinquentes, 7; procedura in causis electionis vel dimissionis religiosorum ab ordinibus et institutis religiosis, 165 sq.
- Relatores* causae, 16 sq.
- Remedia* praeventiva, 86, 88 sq.; iuris contra sententiam iudicalem, 123 sq.
- Reprobationes*, 59.
- Res* iudicata, 124, 140 sq.
- Restitutio in integrum*, 137 sq., 23, 26.
- Restrictus* processus, 108, 149.
- Retractatio* sententiae, 138 sq.
- Revelantes* probationes, 57.
- Revisio* rei iudicatae per Romanum Pontificem, 138 sq.
- Romanus Pontifex* semper adiri potest, 5; ut suprema instantia, 21 sq., 27; invocatus pro recognitione rei iudicatae, 138 sq.
- Rota* Romana, 22 sq.
- Sacerdotes** ut testes, 62.
- Salaria* advocatorum, 46; 144; procuratorum, 46; peritorum, 77.
- Sacra Rota*, 22 sq.
- Scriptis*, actiones iudiciales fieri debent, 29.
- Scripturae*, 78 sq.; scripturarum collatio, 76.
- Secretum* servandum a testibus, 66 sq.; officii laedentes, 16; S. Officii, 162.
- Sedes Apostolica* ut tertia instantia, 21 sq., 27; semper adiri potest, 5.
- Semiplena* probatio, 58, 116.
- Sententia* iudicialis, 113 sq.; ante publicationem conspicienda traditur Ordinario, 15 sq.; invalida, 136; declaratoria, 119 sq.; ex informata conscientia, 91 sq.
- Sessio* fralis, 113 sq.
- Signatura* Apostolica, 25 sq.
- Simplex* probatio, 59.
- Singularis* iudex, 11, 14.
- Solemnis* processus, 50 sq.
- Sollicitatio* ad turpia, procedura, 151 sq.; iuramentum purgatorium, 84.
- Sorores*, earum dimissio ab institutis religiosis, 170.
- Subdelegandi* potestas, 27.
- Subscribi* debent scripturae, 30 sq.
- Subscriptio* sententiae, 117, 136.
- Summarius* processus, 50 sq.
- Supplicatio*, 138 sq.
- Suspensivus* effectus appellationis, 130 sq.
- Suspicio* in iudicem, 9; in testes, 62, 64 sq.; quoad documenta, 80.
- Sustentatio* clerici condemnati, 143.
- Synodales* iudices, 14.
- Taxae** iudiciales, 32.
- Tempus* iudicii, 28 sq.; intra quod processus finire debent, 15, 118.
- Termini* in appellationibus, 128 sq., 134 sq.
- Testes*, 61 sq.; de scientia seu de visu, 61, 73; de credulitate, 61, 73, 49; de auditu, 61, 73; inhabiles, 61 sq., 64 sq.; suspecti, 61 sq., 64 sq.; classici, 61; non citati, 63; contumaces, 73; immediati et mediati, 73; singulares et contestes, 73 sq.; contrarii, 74; qui testari non debent, 70 sq.
- Testium* propositio, 63; productio, 63 sq.; numerus, 64; re-


- lectio, 64; citatio, 65; iuramentum, 66; examen, 67 sq.; responsiones, 69; responsionum publicatio, 71 sq.; confrontatio, 106 sq.; expensae, 73; depositionum vis probandi, 65 sq., 73.
- Transactio*, 33.
- Tribunalium consecutio*, 24.
- Vagi**, eorum forum, 7.
- Validitas* probationum, 58.
- Vestes* iudiciales, 28.
- Vicarius Capitularis*, iudex primae instantiae, 12, 14.
- Vicarius Generalis*, iudex primae instantiae, 12 sq.
- Vis* probandi documentorum, 80; depositionum testium, 65 sq., 73; probationum in genere, 58, 115 sq.
- Vota* iudicum, 114 sq.; peritorum, 60, 76 sq.

REV15

APUD EUMDEM EDITOREM

- CIOLI, MONS. ALESSANDRO, **Commento breve della Costituzione Leonina riguardo ai Libri Proibiti.** Seconda edizione, accresciuta. In-12°, 84 pag. L. 1 —
- Decreta authentica S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae ad anno 1667 ad annum 1882 edita. Iussu et auctoritate Leonis XIII, Pont. Max.** 1883, 8°, 604 pag. L. 7 50
- DE LUCA, P. MARIANUS, **Institutiones Iuris Ecclesiasticis Publici** quas iuxta methodum Card. Tarquini tradebat in schola institutionum canonicarum in Universitate Gregoriana. 2 volumi in-8° gr. in fitta compositione L. 7 —
- DENZINGER, PR. H., **Enchiridion simbolorum et definitionum** quae de rebus et fidei et morum a Conciliis Oecumenicis, Summis Pontificibus, Congregationibus Romanis et Commissione Biblica emanarunt. *Editio novissima emendata et aucta* atque novo locupletissima indice alphabetica ditata ab Eugenio Nebreda S. Congreg. Fil. S. Cordis B. M. V., S. Theol. Professore. Un vol. in-8° di pag. 594 L. 6 —  
Elegantemente legato in tela » 7 50
- Index librorum prohibitorum** Leonis XIII auctoritate recognitus, SS. D. D. Pii X iussu editus. In-8° gr. *Editio nova 1911* L. 5 —
- LEITNER, MARTINUS, **Iuris Canon. Professor in facultate Theolog. Passaviensi, De Curia Romana.** Textus Documentorum quibus Curia Romana noviter ordinatur notis illustratus. In-8°, 72 pag. L. 1 —  
Legato in tela » 1 75
- MELATA, SAC. BENEDICTO, **De potestate qua matrimonium regitur** et de iure matrimoniali civili apud praecipuas nationes, 1903, 8° L. 2 —
- MICHELETTI, A. M., **De Superiore Communitatum religiosorum.** Manuale asceticum, canonicum ac regiminis iuxta SS. RR. Congr. novissimas leges digestum. Editio altera, recentissimis decretis aucta. Grosso vol. in-8° gr., 660 pag. L. 8 —
- L'esaurimento della prima edizione avvenuta nello spazio di sei mesi, è il maggiore elogio che possa farsi a questa importante opera del Micheletti.
- **De Pastore Animarum.** Enchiridion asceticum, canonicum ac regiminis iuxta SS. RR. Congr. novissimas leges digestum. Vol. in-8° magn., pagg. circiter 700 L. 10 —
- MOLITOR, RAPHAEL, O. S. B., **Abbas S. Ioseph in Guestfalia. Religiosi Iuris Capita Selecta.** In-8°, VIII e 560 pag. L. 7 50  
In mezza legatura L. 10 —

UK PrF MU Brno



3129S03518

## APUD EUMDEM EDITOREM

- NERVEGNA, R. D. Ios.**, Antist. Urbanus in Romana Curia, **De Iure Practico Regularium**. Un vol. in-8° L. 3 —
- Rescripta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae necnon Summaria Indulgentiarum, quae collegit et cum originalibus in Archivio Sacrae Congregationis Indulgentiarum asservatis contulit J. Schneider, S. I.**, Sacr. Congregationis Indulg. et Reliq. consultor, 1875, 8°, 732 pag. L. 9 —
- SANTI Fr.**, Prof. **Praelectiones, Iuris Canonici**, quas iuxta ordinem Decretalium Gregorii IX tradebat in scholis Pont. Seminarii Romani. Editio quarta emendata et recentissimis Decretis accommodata cura Martini Leitner, Dr. iur. can., Prof. in Lyceo regio Passav, 5 vol., In-8°, 2036 pag. L. 21 —
- |                          |        |
|--------------------------|--------|
| Liber I, VIII e 470 pag. | » 5 —  |
| » II, IV e 296 pag.      | » 3 75 |
| » III, IV e 492 pag.     | » 5 —  |
| » IV, IV e 465 pag.      | » 4 50 |
| » V e Index              | » 3 —  |
- SCHNEIDER, PHILIPPUS, Dr. theol.**, Prof. iuris canon in Lyceo regio Ratisbonensi, **Fontes iuris ecclesiastici novissimi**. Decreta et Canones sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani una cum selectis constitutionis Pontificiis aliisque documentis ecclesiasticis. In-8°, VIII e 136 pag. L. 2 —
- In mezza pelle » 3 75
- SEBASTIANELLI, GIUL.**, **Praelectiones Iuris Canonici** quas in scholis Pontificii Seminarii Romani tradebat. 3 vol., 8°, 1905. Editio secunda aucta atque emendata.
- |  |         |
|--|---------|
| Vol. I. <i>De personis</i> , 488 pag.                                    | L. 6 —  |
| » II. <i>De rebus</i> , 420 pag.   | » 6 —   |
| » III. <i>De Iudiciis Ecclesiasticis</i> . Pars I. De Iudiciis civilibus | L. 3 50 |
- SIENA, PASQ. DE, Episcop.**, **Commentarius in Constitutionem Apostolicae Sedis** secundum illustriorum interpretum doctrinam et novissimas SS. RR. Congr. decisiones. Editio tertia auctior et emendatior. 234 pag., in-8° L. 3 —
- ZITELLI-SOLIERI, Apparatus seu compendium Iuris Ecclesiastici** in usum Episcoporum et Sacerdotum praesertim apostolico munere fulgentium. Editio tertia a Fr. Solieri recentioribus SS. RR. Congr. decretis aucta. 2 vol., in-8° L. 10 —